TESTAMENTUM

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI

NUNC PRIMUM EDIDIT

IGNATIUS EPHRAEM II RAHMANI

PATRIARCHA ANTIOCHENUS SYRORUM

2. 1. 1900.

Library of the Theological Seminary,

PRINCETON, N. J.

BV 761 .A48 A2 1899
Bible.
Testamentum Domini Nostri
Jesu Christi

Shelf

TESTAMENTUM

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI

NUNC PRIMUM

EDIDIT, LATINE REDDIDIT ET ILLUSTRAVIT

IGNATIUS EPHRAEM II RAHMANI
PATRIARCHA ANTIOCHENUS SYRORUM.

MOGUNTIÆ
SUMPTIBUS FRANCISCI KIRCHHEIM
1899.

IMPRIMI PERMITTITUR

MOGUNTIÆ DIE 29. SEPTEMBRIS 1899.

DR. J. MICH. RAICH
CAN. ECCL. CATH. ET CONS. ECCL.

TYPIS GUILLELMI DRUGULINI LIPSIENSIS.

LEONI XIII. PONT. MAX.

APOCRYPHUM · CHRISTIANÆ · ANTIQUITATIS · MONUMENTUM

CUI · TITULUS · TESTAMENTUM · JESU · CHRISTI

EX · MOSSULENSI · CODICE · NUPER · RETECTUM

LATINE · REDDITUM · EX · SYRIACO

ANIMADVERSIONIBUS · AUCTUM

IGNATIUS · EPHRAEM · II · RAHMANIUS

PATRIARCHA · ANTIOCHENUS · SYRORUM

OMNIGENÆ · ERUDITIONIS

FAUTORI · ET · VINDICI

D. D.

PRÆFATIO.

Qua ratione fauste acciderit, ut detegeremus libellum nuncupatum *Testamentum Domini Nostri Jesu Christi*, nunc primum in lucem edendum, quem perantiqua versio syriaca usque ad nos superstitem intactumque perduxit, palam proferemus.

Cum elapso anno animum intenderemus ad exarandum volumen, in quo conferrentur inter se omnium ecclesiarum formulæ sacrificii missæ celebrandi, communem ipsarum originem demonstrandi causa, transcribi curavimus ex codice Mossulano in prolegomenis descripto et nobis jampridem noto *Octateuchum*, quem arbitrabamur concordare cum Constitutionibus apostolicis, quarum liber VIII continet vetustissimam inter omnes liturgias.

Jam vero, instituta inter utrumque opus collatione, facile deprehendimus non levi cum gaudio non solum liturgiam, qualis reperitur in Octateucho, præ illa Constitutionum apostolicarum, veneranda vetustate longe se commendari, sed insuper *primos duos libros* ejusdem Octateuchi, quibus communis titulus inest *Testamentum Domini Nostri*, exhibere primævum christianæ religionis codicem tum rituum tum disciplinæ, quorum institutio et promulgatio non jam ab apostolis, sed ab ipso Domino in cœlum ascensuro repetitur.

Quare vix memoratum *Testamentum* a nobis ita detectum peritissimis rerum sacræ antiquitatis in Europa nunciavimus, iidem sine

mora ad nos rescripserunt instantes, ut inventum documentum, adjecta accurata versione latina, quamprimum in publicam lucem ederemus. Juvat inter præclaros hosce viros tam bene merentes de veneranda ecclesiæ antiquitate commemorare D^{rem} Fr. Funk professorem in Universitate Tubingensi, D^{rem} G. Bickell professorem in Universitate Vindobonensi et L. Duchesne præsidem Lycei Gallici in Urbe.

Neque ullo pacto fas erat diutius sinere in latebris delitescere tantum thesaurum, in quo non jam tenues vel mutilæ exuviæ, sed integra supellex sacra ævi ante-nicæni recondita existit. Eo vel magis quod *Testamentum* sit instrumentum publicum et authenticum, in quo consignatæ habentur leges, quibus ætate proxima apostolis christiana respublica regebatur, norma fidei professionis eidem propria, et tandem formulæ celebrandi divini cultus, sacramentorumque administrandorum.

Nemo quamobrem non videt, quantam lucem allatura sit publicatio nostri documenti tum illustrandæ sacræ antiquitati, tum vindicandis confirmandisque dogmatibus catholicis; præsertim cum rerum sacrarum notitiæ in iis, quæ hactenus habebantur, veteris ecclesiæ monumentis nonnisi raræ occurrant, eæque obscuræ sint, ut ad illas explanandas conjectura sæpe in auxilium vocari debeat.

Scribebam Romæ die 12 Maji Anni D. MDCCCXCVIII.

PROLEGOMENA.

I.

Descriptio Codicis, unde Testamentum Domini nostri editur.

Præstantissimus codex, ex quo nunc primum exscribimus in lucemque edimus opus, cui titulus *Testamentum Domini nostri*, asservatur in bibliotheca metropolitana Syrorum Catholicorum in urbe Mossul ad Tigrim. Constat foliis bombycinis 354, longis centimetra 40, latis 29; conscriptus est autem syriace, nitidissimis litteris, ternis ceris seu columnis. Clausulæ loco hanc habet epigraphen:

ܫܠܡ ܗܢܐ ܘܐܫܬܡܠܝ ܟܬܒܐ ܗܢܐ... ܕܡܫܬܟܚܝܢ ܒܗ ܟܠܗܘܢ ܟܬܒ̈ܐ
ܩܕ̈ܝܫܐ ܕܕܝܬܩܐ ܥܬܝܩܬܐ ܘܚܕܬܐ. ܘܐܝܬܝܗܘܢ ܟܬܒ̈ܐ ܩܕ̈ܝܫܐ.
ܕܐܦ ܡܬܟܢܝܢܐܝܬ ܡܬܩܪܐ ܦܢܕܩܛܝܣ. ܬܘܒ ܒܝܒܠܘܣ ܐܘܟܝܬ ܟܢܘܫܬܐ
ܐܣܝܪܬ ܡܫܡܠܝܬ ܟܬܒ̈ܐ ܒܗܝ̈ܢܐ ܘܐܠܗ̈ܝܐ ܥܬܝܩ̈ܐ ܘܚܕ̈ܬܐ... ܐܬܟܬܒ
ܕܝܢ ܒܝܘܡ̈ܝ ܐܒܗ̈ܬܐ ... ܡܪܝ ܐܝܓܢܛܝܘܣ ܐܚܝܕ ܟܘܪܣܝܐ ܫܠܝܚܝܐ
ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ. ܘܡܪܝ ܒܣܝܠܝܘܣ ܟܐܢܐ ܡܦܪܝܢܐ ܕܡܕܢܚܐ ...
ܐܬܟܬܒ ܕܝܢ ܒܫܢܬ ܐܠ̄ܦ ܘܨܣܓ. ܗ̇ܘ ܕܐܝܬܘܗ̇ ܫܢܬ ܐܚܢܕ̄ ܡܫܝܚܝܬܐ.
ܒܥܘܡܪܐ ܕܦܛܪܘܣ. ܕܗܘ ܕܝܪܐ ܕܓܒܝܐ ܣܗܕܐ ܡܪܝ ܒܗܢܡ ܗܘܕܐ
ܠܬܝܡܢ ... ܠܥܘܡܪܐ ܕܡܪܝ ܚܢܢܝܐ ܘܡܪܝ ܐܘܓܝܢ ... ܕܡܬܟܢܐ ܕܝܪܐ
ܕܙܥܦܪܢ ... ܒܐܝ̈ܕܝ ܒܗܢܡ ܐܣܟܝܡܘܣ.

«Absolutus et perfectus est hic liber ... in quo continentur libri sacri Veteris et Novi Testamenti, qui sunt Sacra Scriptura. Nominatur quoque Πανδέκτης vel Βίβλος i. e. encyclopædia complectens sacros et divinos libros tum veteres tum novos ... Exaratus est diebus Patrum nostrorum domini Ignatii patriarchæ Sedis Apostolicæ Antiochenæ, et domini Basilii Justi Maphriani Orientis ... anno græcorum 1963, qui respondet anno Christi 1654 (?), in claustro Petri, quod est cœnobium electi martyris Sancti Behnami, situm ex regione australi cœnobii Mar Hananiæ et Mar Eugenii noti sub nomine *Za'farân* ... manu Behnami peccatoris».

Continet codex, ab initio usque ad folium 338 versum, translatos secundum versionem *Pshittâ*, et pro libris, qui in illa desiderantur, secundum syriacam versionem LXX interpretum, omnes V. et N. T. tum proto-canonicos tum deutero-canonicos libros, qui attingunt summam *septuaginta sex*, prout ipse librarius ad marginem singulos libros enumerat.

Inde autem a folio 339 usque ad folium 354 codicis postremum Sacræ Scripturæ libris, continuata ea numerorum serie, subjunguntur octo libri dicti Διατάξεις *Apostolorum*, quos Lagarde, ut a vulgatis octo Constitutionum apostolicarum libris distinguerentur, *Octateuchos* vocare maluit.

Accipe nunc indicem et argumenta horum octo librorum, adjecta ad singulos indicatione locorum, qui eis respondent in vulgatis *Constitutionibus* vel in *Canonibus ecclesiasticis*, vel in *Canonibus apostolorum*.

Liber I^us^, cui adnotatur numerus 77, continet *Testamentum Domini seu verba, quæ Dominus noster a mortuis resurgens ad apostolos habuit* (fol. rect. 339 col. 1 — fol. 345 vers. col. 3).

Liber II^us^ sub eodem numero 77 inscribitur: *Præcepta et statuta Domini etc.*

(foll. 345 vers. col. 3—348 rect. col. 1).

Hi sunt duo libri, quibus continetur *Testamentum* modo in lucem edendum.

Liber III^us^ sub numero 78 habet titulum: *Doctrina duodecim apostolorum* (foll. 348 rect. col. 1—349 rect. col. 1). Respondet libello vulgo hodie dicto *Canones ecclesiastici sanctorum apostolorum*, quem in tom. I hist. jur. eccles. pp. 107—132 primus publicavit an. 1843 Guillelmus Bickell sub titulo *Ordinatio ecclesiastica Apostolorum*(1), et deinceps edidit Emũs Cardinalis Pitra in suo opere *Juris ecclesiastici Græcorum historia et monumenta* Tom. I pp. 77—86 sub titulo *Sententiæ apostolorum.*

---

(1) Exinde apparet nostrum codicem continere ex integro syriacam versionem hujus libelli, cujus integer textus græcus in uno codice Vindobonensi exstat. Codex autem syriacus Sangermanensis nonnisi partem ejusdem libelli (III—XIV), quam vulgavit Lagarde, continet. Collatione instituta inter græcum textum et syriacam versionem sæc. VII factam, comperitur hanc propius ad textum accedere, quam copticam et æthiopicam.

Liber IV^us^ sub numero 79 inscribitur *De charismatibus, ordinationibus et canonibus ecclesiasticis*[1] (fol. 349 rect. col. 1—349 vers. c. 3), respondetque capitibus 1—2 lib. VIII Constitt. apost. (Pitra op. cit. pp. 386—392).

Liber V^us^ sub numero 80 titulum præsefert *De ordinationibus* (foll. 349 vers. col. 3—351 vers. col. 3), et respondet cap. 3 lib. VIII Constitt. apost. (Pitra op. cit. pp. 392—393) et Constitt. apost. lib. VIII capitibus 4—5 et 16—26 (Pitra pp. 49—60).

Liber VI^us^ sub numero 81 continet *Constitutiones seu Statuta plurimorum apostolorum de clericis et laicis* (foll. 351 vers. col. 3—352 rect. col. 1): respondet lib. VIII Constitt. ap. capitibus 27—28 (Pitra op. cit. pp. 60—62); capitibus 30—31, 32 nn. 16—17 (Pitra op. cit. pp. 63, 67); capitibus 33—34 (Pitra op. cit. pp. 67—70); capitibus 42—46 (Pitra op. cit. pp. 70—72; pp. 412—416); capiti 32 nn. 1—15 (Pitra op. cit. pp. 64—67).

Liber VII^us^ sub numero 82 inscribitur *De mystico ministerio* (foll. 352 rect. col. 1—353 rect. col. 2) et respondet Constitt. ap. lib. VIII capiti 29 (Pitra op. cit. pp. 62—63); et ejusdem lib. VIII capiti 5 sub finem inde ab illis verbis: *dico ego Andreas frater Petri* etc. usque ad finem capitis 9 (Pitra op. cit. pp. 393—397).

Liber VIII^us^ sub numero 83 continet *Canones apostolorum* (foll. 353 rect. col. 2—354 vers. col. 3), qui iidem sunt ac illi, quos exhibet Pitra (op. cit. pp. 13—36).

Etsi autem codex, unde modo Testamentum editur, non ita sit vetus, exstat tamen in bibliotheca Parisiensi celeberrimus codex 38 Sangermanensis editus a Lagarde, qui referendus est ad sæc. VIII, quique continet fragmenta seu excerpta quaedam ex Testamento.

Porro nobis plane compertum est octo descriptos libros, præter Mossulanum descriptum codicem, reperiri integros in aliis codicibus membraneis, qui asservantur in bibliothecis Syrorum, quos tamen, ob rerum temporumque adjuncta, non licuit nobis adire, ut inde nonnullos emendaremus locos nostri codicis, lectionumque varietatem in margine exhiberemus.

---

(1) Reapse in isto libro tantum de charismatibus est sermo, ut caveant nempe, qui illis fruuntur, ne insolenter sese efferant.

Attamen, dum prelo præsens opus tradendum esset, advenientibus nobis Romam ad visitanda apostolica limina, fauste contigit, ut in Museo Borgiano Sacræ Congregationis de Propaganda Fide reperiremus codicem syriacum bombycinum, exaratum anno 1887 Græcorum, qui olim pertinebat ad seminarium Syrorum in monte Libano, dictum Sharfianum, quique continet inde a folio 61 rect. integrum superius descriptum Octoteuchum.

Quare in textu syriaco edendo notabimus ex memoratis codicibus variantes lectiones. Brevitatis causa codicem Sangermanensem littera S, codicem Mossulanum littera M, tandem codicem Musei Borgiani littera B indicabimus.

Præterea in eodem Museo Borgiano codicem arabicum exaratum anno martyrum 1064 reperimus, qui continet versionem arabicam Testamenti ex coptico idiomate, confectam a quodam Abû Isḥâq ben-Faḍl allāh. Auctor præfatus versionis testatur se in elaboranda versione præ manibus habuisse exemplar copticum, quod olim pertinebat ad Cosmam Patriarcham Coptorum Alexandrinum, quodque exaratum erat anno 643 martyrum. In appendice separata istam copto-arabicam Testamenti interpretationem proxima occasione dabimus.

II.

De titulo et argumento operis; de auctore cui tribuitur; de lingua, qua scriptum fuerit; de ejus interprete syriaco; nec non de ejusdem versionibus coptica, æthiopica, arabica et latina.

Ex dictis in superiore capite, Octateuchi duo primi libri inscribuntur *Testamentum Jesu Christi*, in quo scilicet Testamento inducitur Dominus in cœlum ascensurus suis apostolis patefaciens, quae eventura essent in fine mundi, eisque præscribens, quæ ad constituendas ecclesias, sacrosque ministros creandos, nec non ad fideles cooptandos sanctificandosque pertinerent.

Titulus iste *Testamentum* non solum initio primi libri et in decursu operis occurrit, sed et in fine secundi libri, ubi ita perhibetur Dominus suos alloquens apostolos: «Modo nostis omnia, quæ sum vobis locutus, dum vobiscum essem, et in hoc quoque *Testamento*, quod cum tradetis gentibus, voluntas Patris mei adimplebitur.»

De auctore hæc leguntur in fine secundi libri: «Testamentum

istud (a Domino viva voce exhibitum) scriptis consignarunt apostoli Joannes, Petrus et Matthæus; ejusdemque exemplaria ex Hierosolymis per Dosithæum, Silam, Magnum et Aquilam, quos elegerunt mandandos, ad omnes incolatus miserunt.»

Quæ verba id etiam indicant Testamentum pertinere ad apocrypha scripta, quæ apostolis tribuuntur.

Ex allata quoque clausula colligitur tum in codicibus Mossulano et Borgiano, tum in codice Sangermanensi duos nostros libros nomine Clementis discipuli Petri perperam inscribi. Id enim sic est intelligendum, non quatenus Clemens eos scripserit, sed quatenus illos, honoris causa, collocaverit initio Octateuchi, cujus dispositio ipsi tribuitur. Auctor epigraphis, quae extat in fine octo librorum in codice Sangermanensi id apertis verbis explicat. Sic enim scribit: «Absolutum est volumen mandatorum et canonum apostolorum per Clementem ... quod ab ipso in octo libros sive tractatus digestum est. In primo loco disposuit et collocavit *duas illas constitutiones, quas apostoli tamquam ex ipsius Domini nostri verbis emanantes scriptis consignarunt, eas nempe, quas Testamentum ipsius nuncuparunt.* Quarum prima de ordinatione et ædificatione ecclesiæ nec non de ritu oblationis sancti sacrificii et de ordine sacri fidelium conventus, altera vero de statutis sacramenti s. baptismi agit. Et convenienter quidem honorem primi loci eisdem (i. e. duabus primis constitutionibus) tribuit, et propterea quod a Domino traditæ sunt, et ob excellentiam mysteriorum ibidem inclusorum.»

Quod ad illos autem attinet, per quos in supra allata clausula operis dicuntur apostoli Testamentum ad omnes incolatus transmisisse, non satis liquet, quinam ipsi sint. Actus quidem apostolorum commemorant Silam ab apostolis missum ad fratres ex gentibus, qui erant Antiochiæ et in Cilicia (Act. c. XV, 22 etc.), et Aquilam virum Priscillæ, qui Paulum apostolum in Syriam proficiscentem comitatus est (Act. c. XVIII, 1, 18). Sed nomina Dosithæi et Magni neque in libris N. T., neque in serie septuaginta duorum discipulorum, quam tradunt veteres scriptores, leguntur.

De lingua vero, qua Testamentum scriptum fuit, æque ac de ipsius interprete syriaco, ita in epigraphe ad calcem ejusdem in codicibus[1]

[1] Epigraphe, quæ legitur in codice Sangerm. ad calcem synodi carthaginiensis celebratæ tempore s. Cypriani de quæstione baptismi, suppresso tamen nomine Jacobi,

Mossulano et Borgiano legitur: ܫܠܡ ܟܬܒܐ ܕܒ̄ ܕܩܠܝܡܝܣ : ܡܦܫܩܐ. ܡܢ ܠܫܢܐ ܝܘܢܝܐ ܠܣܘܪܝܝܐ ܠܝܥܩܘܒ ܡܣܟܢܐ ܒܫܢܬ ܨ̄ ܘ ܨ̄ܚ̄ ܕܝܘ̈ܢܝܐ «Absolutus est liber secundus Clementis. Vertit ex lingua græca in syriacam humilis Jacobus anno græcorum 998», qui respondet anno Christi 687.

Memoratus Jacobus ille est clarus apud Syros antistes Edessenus, græce æque ac syriace scientissimus, idemque ob omnigenam eruditionem cognominatus ܦܦܘܣܐ i. e. *solertissimus*, et propter multa opera, quæ ex græco in syriacum transtulit, dictus est *interpres*.

Anno, quo Testamentum vertisse traditur, docebat Jacobus sacram Scripturam et linguam Græcam in cœnobio Eusebonæ in Syria. Cf. Chronic. eccles. Bar-Hebræi edit. Abbeloos-Lamy pag. 286.

Præter syriacam interpretationem scimus Testamentum fuisse in copticam linguam ab ignoto auctore conversum, et deinceps ex coptica lingua in arabicam, uti legitur in codice Musei Borgiani hisce verbis:

كمال عهد سيدنا يسوع المسيح الذي تكلم به معنا نحن الرسل بعد قيامتهِ من بعد الاموات . . .
ترجمه الحقير المسكين ابو اسحَق بن فضل الله من القبطىّ من نسخة قديمة كُتِبت للاب قسما بطريرك
الاسكندريّة مؤرّخَة سنة ٦٤٣ للشهداء الموافقة لسنة ٣١٣ للهجرة.

«Absolutum est Testamentum Domini nostri Jesu Christi, quod oretenus tradidit nobis apostolis post resurrectionem a mortuis ... Vertit illud humillimus Abû Isḥâq ben-Faḍl allāh ex lingua coptica in arabicam ad fidem codicis Patris Cosmæ patriarchæ Alexandriæ exarati anno 643 martyrum, qui annus concordat cum anno 313 Hegiræ.»

Item Testamentum fuit etiam in linguam æthiopicam incerta ætate ex coptica vel potius arabica lingua conversum. In Museo Britannico habentur duo exemplaria ejusdem æthiopicæ versionis sub numeris CCCLXI, 1; CCCLXII, 1. (Vid. Wright catalog. Mus. Brit.).

Tandem fragmenta codicis Trevirensis sæculi VIII sub numero 36

---

refert acta ejusdem synodi jampridem ex latino in græcam linguam versa fuisse, in syriacum idioma translata anno 998 græcorum. Inde concludere licet Jacobum Edessenum illo tempore, præter Testamentum, reliquos Octateuchi libros et cetera documenta, quæ in codice Sang. sequuntur usque ad finem synodi carthaginiensis, in syriacum interpretatum esse.

nos docent idem opus fuisse pristina jam ætate in latinam quoque linguam versum. Vid. notam ad cap. XI versionis nostræ latinæ Testamenti pag. 15.

III.

Testimonia veterum de Testamento.

Quam in votis habuimus instituere investigationem in veterum scriptis, ut colligeremus, quinam Testamenti disertam fecerint mentionem, vel eodem usi sint, eam ob angustias temporis, quibus premimur, et postulationes multorum, qui quantocius, ante regressum nostrum in Orientem, detectum opus in lucem edi a nobis cupiunt, prætermittere coacti, virorum eruditorum studio, solertiæque commendamus.

Sed antequam proponamus testimonia, quæ nobis obvia fuere apud veteres de Testamento, duo observamus:

1°. Minime nobis illorum probari sententiam (Funk, Doctrina duodecim apostolorum p. VI, VII et p. XXIII et seq.), qui applicant Doctrinæ apostolorum (Διδαχή) XIV, 2 et XV, 3, locum illum libri *De Aleatoribus*, qui sic sonat: «Alia Scriptura dicit: Si quis frater delinquit in ecclesia et non paret legi, hic non colligatur, donec pœnitentiam agat, et non recipiatur, ne inquinetur et impediatur oratio vestra» (Cypr. opp. ed. Hartel, III, 96). Hic enim locus non quemlibet delinquentem, sed delinquentem in *ipsa ecclesia* designat: in primo autem indicato loco *Doctrinæ* (XIV, 2), cui illum convenire contenditur, sermo est de eo, qui est in *controversia cum amico suo*, et in altero (XV, 3) agitur de eo, *qui adversus alium deliquerit.* Neuter profecto censendus est in ecclesia delinquere. Neque omittendum Pseudo-Cyprianum nequaquam citare *Doctrinam apostolorum*, sed memoratam sententiam tanquam *dictum scripturæ*, quam non nominat, adducere.

Potius videtur nobis locus iste, sin minus quoad formam, certe quoad sensum cum *Testamento* congruere (lib. I c. 34), ubi præscribitur, ut «*diaconus circumeat per ecclesiam, tempore conventus sacri, ne quis jactator, vel joculator, vel explorator, vel vaniloquus reperiatur*» (ecce prima pars propositionis Pseudo-Cypriani: — Si quis delinquit in ecclesia —) «*et, cunctis videntibus, audientibusque, ipsum redarguat, et, si punitionem mereatur, expellat, ut et alii inde timorem concipiant, si autem supplex*

oret, ut ad communionem admittatur, ei illud solatium afferat» — (Hæc secundam partem propositionis Pseudo-Cypriani, licet aliis verbis, continent).

2°. Neque nobis arridet sententia illorum, qui ad Doctrinam apostolorum XIV, 3 (Bryennius, Metropolita Nicomediensis, in adnotatione ad hunc locum) referunt locum illum ex Pseudo-Iren., quo dicitur: «*Illi qui ultimas Apostolorum Constitutiones assecuti sunt, noscunt Dominum instituisse novum sacrificium, juxta dictum Malachiæ prophetæ*» (edit. Stieren. I, 854).

Siquidem versus doctrinæ, quem Pseudo-Iren. in cit. loco respicere putatur, nihil aliud habet, nisi Malachiæ dictum (I, 11). Auctor autem non de prophetia, sed de prophetiæ eventu loquitur. Accedit quod *Doctrina* (Διδαχή) *apostolorum* non est confundenda cum eorumdem *Constitutionibus* (Διατάξεις).

Nonne verisimilius videtur allatus locus referendus esse ad librum I *Testamenti* c. 23, ubi exhibetur liturgia, qua offerendum est sacrificium Novæ Legis, et in qua de ipsa agitur institutione a Domino facta hujus novi sacrificii? Porro jam monuimus supra (c. II) Testamentum comprehendi in Octateucho seu in octo libris, qui dicuntur *Constitutiones* apostolicæ.

Sed, hisce omissis, progrediamur ad recensendos testes, qui clare comprobant se *Testamentum* cognovisse, illudque præ manibus habuisse.

a) Sæculo III° auctor secundi libri Canonum ecclesiasticorum apostolorum suum libellum ex Testamento concinnavit, ipsius epitomen conficiens, uti in sequenti capite ostendemus. — *b*) Sæculis V°—VI° Severus, Patriarcha Antiochenus Syrorum monophysitarum, in quadam epistola, teste codice Parisiensi Sangermanensi (fol. 14) in nota ad statuta de iis, qui non sunt admittendi in catechumenatum, ex utroque Testamenti libro nonnulla allegat(¹). Dolendum vero est in præfata

(¹) Ita sonat ibidem in margine adnotatio, de qua est sermo ܠܗܠܝܢ ܡܫܬܥܐ ܦܛܪܝܪܟܐ ܣܘܝܪܐ ܒܐܓܪܬܐ ܗܝ ܕܐܬܕܟܪܬ «Hæc refert Patriarcha Severus in epistola superius commemorata». Nulla tamen in præfato codice occurrit præcedenter adnotatio, in qua commemoretur epistola Severi. Ratio ejusmodi omissionis in eo collocanda est, quod ex apographo codicis Sangermanensis folium illud exciderat, in quo designabatur prima vice titulus epistolæ Severi, quod folium exstabat post illa verba: ܒܗ ܡܕܡ ܠܟܬܒܬܐ ܦܫܝܩ ܐܝܬܘܗܝ ܡܬܪܓܡ ܐܝܬܘܗܝ (apud Lagarde,

nota minime designari titulum hujus epistolæ Severi. Idcirco operæ pretium esset, quotquot in bibliothecis Romana, Parisiensi et Londinensi inveniuntur Severi epistolas evolvere ad perquirendam illam, quæ continet locos ex Testamento allegatos. — *c*) Sæculo VII° merito recensendus est inter testes Jacobus Edessenus auctor versionis syriacæ Testamenti. Cf. caput præcedens. — *d*) Sæculis subsequentibus quotquot ex Syris scriptoribus *Octateuchum Clementinum* citant aut ejus mentionem faciunt, eo ipso testimonium reddunt Testamento, cujus duo libri locum primum, ut dictum est supra, in Octateucho occupant. — *e*) Sed potissimum Testamenti auctoritatem tres Orientales ecclesiæ confirmant, quæ ipsum usu quotidiano tot jam per sæcula adhibere consueverunt.

Ecclesia enim Antiochena Syrorum in ea pontificalis libri parte, quæ est de consecratione episcopi, cæremonias quasdam ad verbum expressit ex *Testamento*, ex quo etiam desumpsit ipsam ordinationis formulam, quam *orationem Clementis* nominat.

Coptorum autem Alexandrina ecclesia non solum, uti syriaca, formulas ad primam et secundam manus impositionem in consecratione metropolitæ ex Testamento mutuata est, sed multas ex eodem fonte haustas præscriptiones adhuc retinet, quas ipsis Testamenti verbis refert in suo *pontificali* vel in *nomocanone*. Sic, exempli gratia, ibi non secus ac in Testamento, recensentur dotes requisitæ in promovendo ad episcopatum, præsertimque cavetur, ut sit cælebs vel viduus unius uxoris; item statuitur, ut post consecrationem episcopi dies festi tres celebrentur; similiter novo consecrato episcopo imponitur jejunium trium hebdomadarum etc. (Cf. Ibn al-'Assâl in epitome Canonum, apud Renaudotium, collect. litt. orient. dissert. de Patriarcha alexandrino, n. 81 et seqq. Tom. I p. 399 etc.; et Abûl-Barakāt in Commentario de Officiis sacris, apud Renaudotium loco cit., p. 395).

Præterea eadem ecclesia coptica in versione arabica corporis juris, quod appellat *Didascaliam apostolorum*, quodque coalescit ex sex primis libris Constitutionum apostolicarum distributis in capita et

---

reliq. jur. antiq. pag. 9), cum ea quæ sequuntur nullum nexum habeant cum istis verbis. Præterquam ex contextu, etiam ex serie numerandorum capitum evidens fit folium unum vel plura post dicta verba excidisse, post enim caput sub numero 14 transitus fit ad caput sub numero 32.

dispositis differenti ordine ab illo, qui exstat in vulgatis Constitutionibus, adnectit integra capita ex Testamento sub sequentibus numeris et titulis: Cap. 35, de Ecclesia et loco sacro. Cap. 36, de constituendo episcopo. C. 37, oratio super episcopum. C. 38, de jejunio ab episcopo observando, et in fine mystagogicam concionem ex integro exhibet.

Prædicta capita ad fidem codicis bibliothecæ Maronitarum Aleppi, exarati anno Martyrum 1046, in appendice separata postea edemus.

Quin etiam eadem Alexandrina ecclesia Coptorum a pristinis temporibus «Testamentum Jesu Christi» ex græco in copticam linguam vertit inseruitque ex integro in suo nomocanone, uti testatur auctor epigraphes in codice Musei Borgiani (Vid. præfatam epigraphen supra in cap. II).

Tandem ecclesia æthiopica præter versionem ejusdem[1] operis habet in suo missali sub titulo *Orationis eucharisticæ Jesu Christi* orationem, quam continet liturgia Testamenti, paucis immutatis (Cf. Ludolf, Comment. ad hist. æthiop. p. 341—345). Eadem ecclesia concinnavit ex prædicta oratione eucharistica liturgiam, quæ usurpatur in *consecratione* episcopi (Cf. Ludolf l. cit. stat. XXI). Denique in proto-anaphora proxime ante incensum adolendum desumptam habet ex Testamento litaniam diaconalem (Cf. Anaph. apost. in opere *Testamentum novum* etc. Romæ an. 1548).

IV.

Relatio quæ intercedit inter Testamentum et inter Canones ecclesiasticos, librum VIII Constitutionum Apostolicarum et Canones Hippolyti.

Magna est inter eruditos viros controversia de ortu libri VIII Constitutionum apostolicarum. Cum enim, quæ in præfato opere pertractantur, etiam reperiantur fere eodem ordine disposita in aliis duobus libris, quorum unus est *secundus liber Canonum ecclesiasticorum* (quem brevitatis causa simpliciter *Canones* vel *Canones ecclesiasticos* nominabimus), alter vero est libellus *Canonum Hyppolyti*, merito

---

[1] Vid. supra in proleg. in fine c. II.

quæritur, quodnam ex tribus memoratis operibus censendum sit tanquam fons, ex quo alia duo emanaverunt.

Non est omnium una sententia. *Dr. Fr. Xaverius Funk*, professor Theologiæ Tubingæ in suo opere: «Die apostolischen Konstitutionen» edito anno 1891 (pag. 269 et seqq.) opinatur ex libro VIII Constitutionum Apostolorum alios duos esse repetendos. *Dr. Hans Achelis* in sua dissertatione «Die Canones Hyppolyti» Lipsiæ 1891, nullum non movet lapidem, ut tueatur prioritatem Canonum Hippolytanorum. *Kleinert* tandem in suo articulo «Bemerkungen zur Composition der Clement. Liturgie», edito in «Theologische Studien und Kritiken» (pag. 41 et seq.) putat ex antiquiori recensione libri VIII Const. ap. Canones ecclesiasticos esse profectos.

Jamvero detectum a nobis Testamentum huic controversiæ finem imponit. Instituta enim inter Testamentum et Canones collatione, manifestum fit *Canones* illos nihil aliud esse nisi nostrum Testamentum in compendium redactum; et rursus, ex comparatione libri VIII Const. ap. cum Canonibus, elucet illum ex his defluxisse.

Quod vero attinet ad argumenta Achelis pro prioritate Canonum Hippolyti, minime illa thesim probant, uti ostendit clarissimus Funk (in op. cit. pag. 269 et seqq.). Imo ipse Harnack se discipuli demonstrationi negavit acquiescere («Geschichte der altchristlichen Litteratur» Lipsiæ, 1893, pag. 643). Proinde mirum prorsus est, nonnullos auctores(1) tenere adhuc hippolytanos Canones tanquam aliquod perantiquum esse monumentum ecclesiasticum, cum tamen eis insint tam manifestæ notæ posterioris ætatis, uti ex infra dicendis patebit.

Antequam ad examen revocemus singula præfata tria opera, instituenda collatione inter unumquodque opus et suum apographum unde emanavit, operæ pretium est definire tempus, quo conditi fuerunt Canones ecclesiastici. Equidem censemus secundum istum librum Canonum ecclesiasticorum referendum esse ad sæculum tertium. Quæ sententia hisce momentis nititur:

---

(1) Inter quos commemorandus est Brightman in suo opere «Liturgies eastern and western. Oxford 1896, introd., pag. 23, qui nullo fultus argumento, adscribit Canones Hippolyti fini secundi sæculi vel initio tertii.

1°. Ubi L. VIII C. A. (c. 4) ad consecrandum episcopum statuit, ut «*unus ex primis episcopis cum duobus aliis* stans prope altare ...., atque *diaconis divina evangelia super caput ejus qui ordinatur tenentibus*, dicat ad Deum etc.»; Canones ecclesiastici (c. 31) decernunt, ut ex præsentibus episcopis *unus tantum manum imponat super caput ejus, qui constituitur episcopus, formam consecratoriam recitans*, nulla facta mentione impositionis evangeliorum codicis. — Cf. dicenda in cap. sequenti de ætate auctoris Testamenti.

2°. Canones diserte admonent tum ei qui lector, tum ei qui hypodiaconus constituendus est, manum non esse imponendam. Jamvero sæculo IV°, uti eruitur ex L. VIII C. A. (cc. 21, 22) utriusque ordinatio per manus impositionem perficienda erat.

3°. Iidem ecclesiastici Canones exhibent ordinationem lectoris ante ordinationem hypodiaconi, quod insuper significare videtur Canones compositos fuisse ante medium sæculum tertium, cum, dicto tempore, jam hypodiaconi longe præstantiores lectoribus haberentur. Cf. in capite seq. locum prolatum hac de re ex epistola Cornelii Pontificis romani ad Fabium antiochenum.

4°. Confirmatur quod modo diximus, nempe confectionem Canonum ante medium sæculum tertium collocandam esse, ex eo quod jejunium hebdomadæ paschæ in duobus tantum diebus, parasceve nempe et sabbato, secundum ipsos consistebat, cum, præter Constitutiones apostolicas (l. V. c. 18) tum Didascalia (c. 21), tum etiam Dionysius alexandrinus in sua epistola ad Basilidem (Pitra, Jur. eccles. gr. hist. et monum. pag. 544) testentur totam hebdomadam paschæ fuisse in jejunio transactam a fidelibus.

5°. Tanquam indicium satis remotæ antiquitatis habendum est illud, quod Canones statuunt (c. 46) dogma *resurrectionis carnis* nonnisi post susceptum baptisma esse catechumenis aperiendum, atque hac de causa ibidem, in tertia parte interrogationum symbolum continentium, quæ fieri debent ante immersionem, deest mentio dogmatis resurrectionis carnis.

His præmissis dicimus quod, si attente inter se conferantur Testamentum, Canones ecclesiastici et Liber VIII. C. A., quoad argumenta, quæ in tribus dictis operibus pertractantur, evidenter apparet, ultimum opus dum una ex parte locos jam immutatos a Canonibus ecclesiasticis in suo

textu recipit, altera ex parte quosdam alios omittit, quosdam vero corrigit congruenter suæ ætatis disciplinæ, qui tamen intacti retinentur in Canonibus ecclesiasticis. Quod certum est indicium Librum VIII directe non ex Testamento sed ex Canonibus ecclesiasticis provenire. In hypothesi enim contraria dicendum esset auctorem Canonum ex L. VIII C. A. desumpsisse quidem statuta immutata, ceteris vero statutis substituisse antiquiora ex Testamento: quod omnino a vero alienum est.

Modo singillatim agamus de singulis tribus operibus, de quorum origine inquiritur.

A. *Expenduntur Canones ecclesiastici, collatione instituta inter eosdem et Testamentum.*

T. M. Vansleb in suo opere «l'histoire de l'église d'Alexandrie», impresso Lutetiæ Parisiorum anno 1677, (pag. 241 et seqq.) recensens veteres Canones ecclesiæ copticæ, primus exhibuit titulos Canonum ecclesiasticorum, de quibus sermo est.

Qui vero eosdem ex integro primus edidit in textu coptico, adjecta versione(1) anglica, fuit Tattam in opere, quod inscribitur: «The apostolical Constitutions, or the canons of the Apostles» (London, 1848), in quo opere nostri canones occupant pagg. 31—92. Paulus de Lagarde, anno 1883 edidit eosdem(2) Canones in dialecto Sahidica in volumine, quod nuncupavit «*Aegyptiaca*», impresso Gottingæ, quique, secundum

---

(1) In conficienda anglica versione, præter memphiticam, Tattam usus est etiam versione arabica, quæ et ipsa apud Coptos reperitur.

(2) Canones ecclesiastici leguntur translati germanice in opere Achelis, cui titulus «Die Canones Hippolyti». Quamvis affirmet auctor suam germanicam interpretationem ope cujusdam amici ægyptiologi ad fidem editionis Lagarde confectam fuisse, certum tamen est eamdem concordare omnino cum interpretatione anglica Tattam, cujus retinet etiam, quæ minus recta videantur. Ubi enim Tattam (p. 46) pro voce سِيْف (quæ latine dicitur *ora maritima*) perperam legens سَيْف (gladium) habet: «one who has authority over the sword», item Achelis exscribens errorem ait (p. 82): «Einer, der Macht über das Schwert hat». Palam est autem illa verba المسلَّط على سِيْف vertenda esse «gubernator loci maritimi». Præterea ex codice Tattam, incuria amanuensis, exciderat prima interrogatio baptizando facienda de fide in Patrem omnipotentem etc. pag. 58): ea autem lacuna ipsa reperitur quoque in versione Achelis (pag. 97) etc.

editoris divisionem, complectuntur ibidem capita 31—62, occupantque in memorato volumine pagg. 248—266.

Porro in utraque editione Tattam et Lagarde desunt partes liturgicæ, quæ tamen suppleri consueverunt in ordinatione episcopi et presbyteri ex statutis XXI, XXII apud Ludolf, in *Commentario ad suam historiam Aethiopicam* (p. 323—332).

Animadvertendum insuper est Canones nostros ecclesiasticos ab eruditis nuncupari Aegyptiacos[1], cum nobis ex versionibus ægyptiacis innotuerint.

Nuper autem innotuit hujusmodi Canones olim exstitisse quoque in versione latina ex græca confecta, cujus fragmenta, una cum fragmentis Didascaliæ et primi libri Canonum ecclesiasticorum, nuperrimis temporibus, Dr. Edmundus Hauler professor in Universitate Vindobonensi detexit in codice veronensi, palimpsesto 53 membran. in 8°.

Præfatus doctor fragmenta Canonum, qui primo libro proxime subnectuntur, liberalissime nobis communicavit, antequam illa ederet.

Continent autem caput 31um editionis Lagarde et statutum XXI Ludolf; c. 32 Lagarde et stat. XXII Ludolf; c. 33 Lagarde et c. 52 ejusdem. Eo pretiosiora sunt veronensia fragmenta, quod exhibeant partem liturgicam, quam omittunt editiones Tattam et Lagarde, contineantque variantes valde ad restituendum textum utiles.

Hisce præmissis, demonstrandum sumimus Canones acceptos esse ex Testamento, uti constabit ex collatione singulorum capitum eorumdem cum respondentibus in Testamento.

Monemus autem in designandis capitibus *Canonum* nos sequi divisionem Lagardianam, quæ recidit fere semper in illam, quam exhibet Tattam.

Caput 31 Canonum respondet capitibus 20—21 Testamenti, ex quo contractis verbis exscribit institutionem episcopi cum forma consecratoria, omissis tamen tum lotione manuum episcopi ante

---

(1) Fructuum varia genera, quæ in c. 54 enumerantur, probe indicant, Canones, de quibus est sermo, non posse adscribi Aegypto tanquam patriæ, eo vel magis quod nulla fit in iis mentio *dactylorum* neque aliorum fructuum, quos fert Aegyptus. Sciendum est autem *Fragmenta veronensia* nuper detecta recensere inter fructus «*poma damascena*», quod argumento esse videtur Canones non procul a Damasco ortum habuisse.

primam impositionem, tum formula proferenda in eadem illa prima impositione.

Subjecta tabella rem declarat.

Ex Testamento.

Post constitutam domum (ecclesiæ) . . . .

. . . . *Ordinetur episcopus eligendus ab universo populo* . . . . qui . . . . sit sine reprehensione etc. . . . . Qui talis ergo fuerit, *die dominica suscipiat manus impositionem, omnibus consentientibus ipsius ordinationi . . . . una cum cunctis presbyteris et episcopis vicinis. Iidem episcopi manus . . . . super illum imponant: presbyteri autem juxta eos stent quieti . . . . elevatis sursum cordibus in silentio . . . . Post hæc unus episcopus præceptum habens a reliquis imponat super illum manus, dicens:*

Deus, qui omnia in virtute fecisti etc. . . . . *Deus et Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in puris altis habitas perpetuo, qui es altissimus etc.* . . . . *qui omnia antequam fiant, nosti* . . . . *qui illuminationem dedisti ecclesiæ per gratiam Unigeniti Filii tui, prædefiniens ab initio illos, qui cupiunt æquitatem* . . . . qui elegisti *Abraham* . . . . *qui principes et sacerdotes ordinasti* in sanctuario

Ex Canonibus,
juxta Fragmenta veronensia.
fol. 66. *rect.*

Episcopus ordinetur electus ab omni populo, quique, cum nominatus fuerit et placuerit omnibus, conveniet populum una cum presbyterio et his qui præsentes fuerint episcopi, die dominica. Consentientibus omnibus, imponant super eum manus et presbyterium adstet quiescens. Omnes autem silentium habeant orantes in corde propter discensionem sp̄s; ex quibus unus de præsentibus episcopis, ab omnibus rogatus, imponens manum ei, qui ordinatur episcopus, oret ita dicens:

Ds̄ et pater Dn̄i nostri ih̄u χp̄i, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui in excelsis habitas et humilia respicis, qui cognoscis omnia, antequam nascantur, tu qui dedisti terminos in ecclesia per verbum gratiæ tuæ, prædestinans ex principio genus justorum, Abraham, principes et sacerdotes constituens et sc̄m tuum sine ministerio non derelinquens: ex initio sæculi bene tibi placuit in his, quos elegisti prædicari; nunc effunde eam vir-

tuo .... Domine Deus, *qui non reliquisti sublime sanctuarium tuum sine ministerio .... ex mundi constitutione* sanctuaria tua ornasti et decorasti principibus et sacerdotibus .... Domine, *cui* etiam modo *collaudari placuit*, et dignatus es constituere principes populo tuo .... *effunde* intelligentiam et *gratiam spiritus tui principalis, quam tradidisti dilecto Filio tuo Jesu Christo* .... Concede Deus spiritum tuum sanctum .... mitte eum ecclesiæ tuæ .... et *omni loco, qui laudes tuas* canit. *Da* Domine .... *Pater, qui nosti corda* omnium, *huic servo tuo, quem elegisti ad episcopatum, ut pascat gregem tuum sanctum et summo sacerdotio fungatur sine querela, die ac nocte tibi ministrans;* concede, ut appareat *facies tua*, eumque dignum redde, qui tibi .... *offerat oblationes ecclesiæ tuæ.* Impertire ei, *ut* habeat *spiritum tuum pollentem potestate solvendi omnia ligamina, quemadmodum apostolis tuis concessisti, ut placeat tibi in humilitate .... cum puro corde .... dum offert tibi* laudes, confessiones ac orationes in *odorem suavitatis* .... *per* Dominum nostrum *Jesum Christum Filium tuum .... per quem tibi gloria, honor et imperium cum Spiritu sancto* ante sæcula et *nunc* et omni tempore .... *et in sæcula sæculorum.*

tutem, quæ a te principalis sps, quem dedisti dilecto filio tuo ihu xpo, quod donavit sanctis apostolis, qui constituerunt ecclesiam per singula loca, sanctificationem tuam in gloriam et laudem indeficientem nomini tuo. Da, cordis cognitor, pater, super hunc servum tuum, quem elegisti ad episcopatum, pascere gregem sanctum tuum et primatum sacerdotii tibi exhibere, sine reprehensione servientem nocte et die, incessanter repropitiari vultum tuum et offerre dona sancta ecclesiæ tuæ, spm primatus sacerdotii habere potestatem dimittere peccata secundum mandatum tuum, dare sortes secundum præceptum tuum, solvere etiam omnem colligationem secundum potestatem, quam dedisti apostolis, placere autem tibi in mansuetudine et mundo corde, offerentem tibi odorem suavitatis per puerum tuum ihm xpm, per quem tibi gloria et potentia et honor patri et filio, cum spu sancto et nunc et in sæcula sæculorum, amen.

Hoc unum exemplum sufficiat, ut attente inter se duo documenta conferenti luculenter innotescat, quomodo canones emanaverint ex Testamento, nonnullis sententiis suppressis, aliis mutatis, aliis contractis, nonnunquam vero quibusdam sententiis ampliter auctis juxta theologicum dicendi modum decursu temporis inductum.

Idem quoque apparet in collatione instituenda inter Canones et Lib. VIII Const. A., de qua infra.

Suppeditant eadem Fragmenta veronensia, immediate post episcopi institutionem, descriptionem celebrandæ liturgiæ(1) a novo episcopo, cujus liturgiæ textus excerptus est ex liturgia Testamenti, multis prætermissis, ita ut, post salutationem initio liturgiæ illis verbis: «*Dominus vobiscum*» et concitationem: «*Sursum corda!*» etc., transitus fiat ad illam partem ex oratione eucharistica desumptam, quæ commemorat beneficium *incarnationis* Filii Dei et *redemptionis* generis humani, *institutionemque eucharisticam* ab eodem factam, quam sequitur anamnesis, deinde fit invocatio ad Patrem, ut emittat Spiritum sanctum in eucharistiam, ut proficiat sumentibus: quæ quidem invocatio non parum divergit ab illa, quæ habetur in Testamento.

Eadem Fragmenta veronensia subjungunt liturgiæ benedictionem olei, panis, vini, casei et olivæ, exhibentque breves formulas ad prædictas oblationes benedicendas. Testamentum vero post liturgiam agit de benedicendo oleo ab episcopo et aqua.

Caput 32 Canonum desumptum est ex capitibus 29—31 Testamenti, in eoque compendiose describitur institutio presbyteri. Fragmenta veronensia(2) tradunt ex Testamento haustam formam ordinationis presbyteri.

Caput 33 Canonum sequitur normam Testamenti de institutione diaconi(3) (Cap. 33—38).

---

(1) Descriptio liturgiæ hausta ex Testamento exstat in *statuto* XXI apud Ludolf. Notandum vero est descriptionem liturgiæ, quam exponit Lagarde in *Aegyptiaca* (pp. 274—277), quamque inseruit Brightman in suo opere «*Liturgies eastern and western*» (p. 461) tanquam liturgiam pertinentem ad *Canones ecclesiasticos Sahidicos*, minime ex Canonibus ecclesiasticis desumptam esse, bene vero ex l. VIII C. A.

(1) Forma ordinationis presbyteri etiam habetur in statuto XXII apud Ludolf.

(2) Statutum XXIII apud Ludolf mutilum est, et ibidem desideratur forma ordinationis diaconi. Etiam in Fragmentis veronensibus deest folium, quod continebat formam proferendam ad impositionem manus super diaconum.

Ad hunc locum confector Canonum notat discrimen inter episcopum et presbyterum in eo præcipue consistere, quod presbyter recipiat quidem Spiritum sanctum, nequeat vero illum aliis conferre per ordinationem. Quae adnotatio minime ex Testamento, sed aliunde desumpta ab ipso fuit.

Caput 34 Canonum agit de Confessoribus fidei et respondet capiti 39 Testamenti, quod fere ad verbum transcribit.

Canones in cap. 35 agunt primo de institutione lectoris, deinde in cap. 36 de institutione hypodiaconi([1]), ibidemque declaratur utramque fieri sine manus impositione. Notandum vero quod, ubi in Testamento (cap. 45) statuitur lectori tradendum esse *librum* (lectionum, censemus, ex V. T.), in Canonibus ponitur traditio libri apostolorum, id est lectionum apostolicarum; item hypodiaconus secundum præscripta Canonum diacono inservit, cum in Testamento munera auxiliaria diaconatus tribuantur lectori.

Caput 37 Canonum agit ad normam Testamenti (c. 40) de viduæ institutione ejusque requisitis. Secus tamen ac Testamentum monet institutionem hujusmodi per simplicem electionem seu verbis, minime vero per ordinationem esse perficiendam. Quae immutatio præ oculis habenda est ad definiendam ætatem utriusque documenti.

Caput Canonum 38 respondet iis, quæ habet Testamentum c. 46 agitque de virginibus.

Caput 39 Canonum agit de charismatibus (Testamentum c. 47). Ex triplici tamen charismatum genere, quæ Testamentum commemorat, Canones de charismate tantum sanationis tractant, id quod indicat alia charismata, tempore quo Canones fuerunt conscripti, jam non fuisse visibilia.

Hactenus quæ auctor Canonum exscripsit compendiose ex libro I Testamenti, prætermissis multis aliis, v. g. enumeratione munerum seu officiorum episcopi, presbyteri et diaconi, descriptione conventus auroræ cum precibus in illo recitandis etc.

Sequuntur, quæ Canones excerpserunt ex II libro ejusdem Testamenti.

([1]) In dissert. de hierarchia ostendemus Testamentum in documento nostro corruptum fuisse a manu recentiori in collocanda institutione hypodiaconi ante institutionem lectoris.

Capita 40—41 Canonum exponunt ex ipsorum apographo statuta de recipiendis vel rejiciendis accedentibus ad fidem. Notanda sunt sequentia discrimina:

a) Ubi in Testamento (l. II. c. 1) de domino infideli non permittente, ut servus fidem suscipiat, dicitur *orandum esse illum dominum, ut id sinat, nisi constet servum in odium domini accedere ad fidem, si autem non constet de odio in dominum, velitque ille servus fieri christianus, verbum audiat,* Canones ecclesiastici ita causam expediunt: «*Si herus ejus* (i. e. servi accedentis ad fidem) *sit ethnicus, commonefiat servus placere domino, ne quis calumnietur*», — quæ ad verbum repetuntur in Const. apost. (l. VIII c. 32, 1).

b) Ubi in Testamento statuitur de muliere, quæ sit uxor alicujus viri, dum accedit ad fidem, *eamdem docendam esse suo viro placere in timore Dei,* subditurque: «*quod si uterque eorum pietatis causa continentiam servare voluerit, mercedem habebunt*», Canones (loco citato) tradunt: «*Si habet vir uxorem aut mulier virum, doceantur vir, ut sit contentus sua uxore, et mulier, ut contenta sit viro suo*». Hæc etiam totidem verbis leguntur in Const. apost. (c. 32, 2).

c) Cum Testamentum (l. II. c. 2) postulat, ut milites, vel qui sunt in magistratu, antequam ad baptismum admittantur, renuntient omnino militiæ et dignitati, Canones (c. 41) hujusmodi constitutionem aliquantulum mitigant. Idem fit in Const. apost. (c. 32, 8).

Item capita 42—44 Canonum, in quibus agitur de diuturnitate catechumenatus et de dimittendis catechumenis post precem, sunt desumpta ex Test. (l. II. c. 3—5) cum nonnullis immutationibus inductis, quæ sunt:

a) Canones prohibent, quin Catechumeni pacem inter se dent post orationem, quod tamen a Testamento iisdem conceditur.

b) In Testamento episcopo vel presbytero committitur munus imponendi manus supra catechumenos, dum dimittendi sunt; Canones vero ad id designant doctorem, qui potest esse juxta ipsos sive clericus, sive laicus.

Quæ ultima adnotatio legitur quoque in Const. apost. (l. VIII. c. 32, 15).

Caput 45 Canonum juxta normas Testamenti (l. II. c. 6) exponit, quæ pertinent ad electionem eorum, qui proxime suscipere debent

baptisma, ipsorum exorcizationem, et lavacrum, quo mundari debent feria V, et jejunium ab ipsis servandum feria VI et sabbato [1]. Quamvis autem ibidem diserte non indicetur, qua die baptismum sit conferendum, colligitur tamen ex contextu agi de die paschæ.

Præcipuum discrimen inter Testamentum et Canones consistit in eo, quod Testamentum (l. II. c. 7) statuit, ut baptismum conferatur initio noctis, quæ sequitur sabbatum paschæ, ita ut tota solemnitas, inclusa celebratione etiam liturgiæ, terminetur media nocte. Canones vero retinent quidem ex Testamento ritum exorcizationis et insufflationis perficiendum esse sabbato, sequentes vero ritus spectantes ad collationem baptismi et celebrationem liturgiæ differunt ad gallicinium, interposita fere integra nocte, quam volunt ut baptizandi transigant vigilando. Videtur ejusmodi dilatio celebrandæ solemnitatis paschæ ad horam gallicinii repetenda ex studio fidelium diutius protrahendi jejunium paschæ, ita ut *aliqui integris sex diebus*, *alii quatuor absolutum et continuum jejunium observarent*, *reliqui vero*, *qui nonnisi parasceve et sabbato jejunabant*, *usque ad auroram jejuni permanerent*, uti testatur [2] Dionysius alexandrinus [3].

In capite 46 Canonum totus ritus baptismi necnon consignationis et communionis ipsis fere verbis Testamenti (l. II. c. 8) eodemque plane modo describitur, exceptis sequentibus:

1°. Canones innuunt orationem esse recitandam super aquam baptismalem. — 2°. Exhibent formulam abrenuntiationis satanæ illa, quæ legitur in Testamento, breviorem, formulamque submissionis Deo e contra formula Testamenti tum longiorem tum recentiorem quoad dicendi modum. — 3°. Præter corpus et sanguinem Christi addunt neophytis esse præbendum lac et mel. Satis clare tamen apparet hæc esse præpostere adjecta, cum id additamentum distrahat verba, quæ sunt de corpore et sanguine dandis recens baptizatis [4]. — 4°. In

---

(1) Tattam quem sequitur Achelis vertit: «*Let those who shall receive baptism fast on the preparation of the sabbath*», sed procul dubio vertendum est cum copulativa particula: «*parasceve et sabbato.*»

(2) Etiam Const. apost. (l. V. c. 18) præscribunt, ut jejunium paschæ observetur «*usque ad nocturnum galli cantum.*»

(3) Apud Pitra, Jur. eccl. hist. et monum. T. I. p. 543 seq.

(4) Videtur illius commatis interpolatio adscribenda interpreti ægyptio, ut accom-

communione neobaptizatis danda substituunt diacono episcopum, nec non diversa ab illis Testamenti indicant verba pronuntianda, quæ sunt: *hic est panis cœlestis, corpus Jesu Christi.* — 5°. De dogmate resurrectionis carnis revelando tunc primum neophytis observant illud dogma præfiguratum fuisse a Joanne per sigillum illud, quod scriptum nomen gerebat, quod nemo cognovit[1].

Caput 47 Canonum proponit disciplinam valde alienam a tenore Testamenti, in quo injunguntur varia jejunia tum presbyteris, tum præcipue episcopo. Hic vero Canones declarant presbyteris æque ac laicis nonnisi pro lubitu jejunandum esse, episcopo vero non licere jejunare, nisi cum universus fidelium cœtus jejunat. Cujus rei ratio ponitur in benedictione oblationis, quæ locum habet in ecclesia ad petitionem cujusvis fidelis, tunc enim, ajunt Canones, episcopus de pane oblato, quem benedicit frangitque, debet prius gustare, particulasque singulis fidelibus distribuere, quas ipsi debent sumere, antequam frangant singuli suum panem.

Item caput 48 Canonum, in quo agitur de gratiis agendis ante sumptionem calicis, videtur desumptum ex alio opere, ibidemque verbum fit de *pane exorcizato* dando catechumenis, cujus mentio minime occurrit in Testamento, imo ibidem (l. II. c. 19) dicitur diserte catechumenis dandas esse *eulogias fractionis panis*, antequam dimittantur in nocte paschæ.

Capita 49—52 Canonum pertractant juxta Testamentum (l. II. c. 12) de agapis, quas appellant *cœnas Domini*, dum in Testamento simpliciter cœnæ vel convivia dicuntur.

Præterea in Canonibus agitur de cœnis quibus, absente episcopo, præest presbyter, vel, absente isto, diaconus, et de cœnis vespertinis, ad quas vocantur viduæ, de quibus silet Testamentum.

Capita 53—54 Canonum exscribunt Testamentum (lib. II. c. 14, 16) de primitiis offerendis et ab episcopo benedicendis. Differunt autem a Testamento Canones, quatenus enumerant tum varias species fructuum benedicendorum, tum diversa olerum genera, quæ non debent benedici.

---

modaret illam descriptionem ritui suæ ecclesiæ. Idem judicandum de auctore versionis latinæ in Fragmentis veronensibus quoad hunc locum.

(1) Obscura videntur ejusmodi verba.

Caput 55 Canonum, respondens Testamento (l. II. c. 20), agit de jejunio absoluto duobus ultimis diebus hebdomadæ paschæ ab omnibus observando, quod tamen ægrotis, mulieribusque prægnantibus ad unum tantum diem contrahitur.

Deest tamen in Testamento jussio, quæ hic fit navigantibus ignorantibus suo tempore dictum jejunium, ut illud post pentecosten suppleant.

Caput 56 Canonum respondet Testamento (l. II. c. 21), ubi notatur, ut episcopus certior fiat de ægrotis fidelibus ad illos visitandos; Canones autem diacono et hypodiacono munus adsignant monendi episcopi de ægrotis.

Caput 57 Canonum sequitur Testamentum (l. II. c. 24) de oratione a fidelibus facienda statim ac de lecto surrexerint. Additur autem iis properandum esse ad ecclesiam, quoties ibidem fit catechesis, quod additamentum legitur quoque in Const. apost. (lib. VIII. cap. 32, 16).

In capitibus 58—60 Canonum, interrupta tractatione de oratione, sequitur ad fideles hortatio, ut quotidie se eucharistia reficiant, fitque commonitio, ut maxima adhibeatur cautela, ne ex calice sanguinis Christi aliquid effundatur, neve musca vel quid simile in calicem decidat.

Præter hoc ultimum cetera sunt hausta ex Testamento (l. II. c. 14). Quod autem additur ibidem, presbyteros nempe et diaconos quotidie in locum ab episcopo designatum convenire debere ad orationem, deest in Testamento.

Caput 61 agit de mortuis sepeliendis et de cæmeterio, qua in re concordant Canones cum Testamento (l. II. c. 23).

Caput 62 iterum agens de oratione repetit, quæ in capite 57 dicta sunt, urgetque officium frequentandæ ecclesiæ ad catechesim audiendam. Pergit autem ex Testamento (l. II. c. 24) exscribere, quæ pertinent ad preces, horis tertia, sexta et nona, vespere et media nocte Deo solvendas. Cetera, quæ leguntur, aliunde ac ex Testamento repeti debent, et sunt:

a) Ut ante orationem mediæ noctis laventur manus;

b) Ut vir habens uxorem non christianam secedat in alium locum ad orationem mediæ noctis persolvendam;

c) Ut connubio ligatus, post conjugale commercium manus insufflet, quo totus homo fit purus;

d) Allegantur verba evangelica Matth. XXVI, 6 et Marc. XIII, 35, unde excitentur fideles ad orandum media nocte;

e) Præter prædictas horas, etiam ad gallicinium orandum esse statuitur;

f) Admonentur fideles, ut se muniant signo crucis, cujus symbolum agnoscitur in sanguine agni, quo fuerunt tincti postes Israelitarum;

g) Concluduntur Canones adhortatione ad fideles, ut custodiant hæc ab apostolis tradita, promissioneque facta fore ut illi, si ista observent, incolumes existant ab insidiis hæreticorum.

B. *Expenditur liber VIII Constitutionum apost. et comparatur cum libello Canonum ecclesiasticorum.*

Postquam demonstravimus Canones ecclesiasticos, nonnullis immutationibus inductis, excerptos fuisse ex Testamento, modo operæ pretium est inter se comparare eosdem Canones et librum VIII Constitutionum apost., ut hujus ex illis origo demonstretur.

Capita 1—4 l. VIII, quæ inscribuntur *de donis spiritualibus*, ex alio opere petita sunt.

Caput 5 emendat[1] Canones (c. 31) de constitutione episcopi, morem gerens usui suo tempore obtinenti. Forma autem consecratoria, quam tradit, proxime accedit ad illam, quæ legitur in Canonibus.

Cc. 5, 6—10 exponunt formulas rituales, quæ appellantur «*liturgia S. Andreæ apostoli*», continentes proclamationem diaconi, qua fideles ad orandum invitantur, et subsequentem orationem episcopi manum imponentis ad dimittendos quatuor distinctos hominum ordines, quibus sacrificio missæ interesse non licebat, primo catechumenorum, deinceps energumenorum, postea illuminandorum et postremo pœnitentium.

Quod hæc pars liturgica libri VIII nomine S. Andreæ inscribitur[2],

---

[1] Vide infra dissertationem *de hierarchia*.

[2] Dum auctor hanc liturgiam, quæ dicitur catechumenorum, tribuit S. Andreæ, illam vero, quæ proprie dicitur liturgia fidelium, S. Iacobo adscribit, sat clare indicat, se in libro, quem digessit, attigisse duos usus inter se diversos. Id colligitur ex diversa enuntiatione unius ejusdemque formulæ benedictionis in eodem lib. VIII. Siquidem in liturgia S. Andreæ traditur formula benedictionis secundum usum byzantinum «*Gratia Domini nostri Iesu Christi, charitas Dei ac Patris et communicatio Spiritus sancti sit*

id indicare videtur, in regione, qua præfatus apostolus evangelium prædicavit, ortam esse disciplinam constituendi memoratos quatuor ordines, de quibus silet Testamentum, in quo tamen accurate recensentur omnia, quæ spectant ad disciplinam vel ritus ecclesiæ.

Cc. 10—11 continent litaniam catholicam a diacono proclamandam, cum analoga oratione in fine litaniæ ab episcopo proferenda (Cf. ejusmodi litaniam cum respondente proclamatione diaconi in Testamento l. I. c. 35).

In capitibus 11—15, exhibetur in extenso liturgia pro offerendo sacrificio missæ, quæ S. Iacobo apostolo tribuitur (1). Porro quamvis prolixa ista liturgia differat ab illa, quæ in Testamento legitur, continet tamen haud paucas sententias ex oratione illa eucharistica desumptas (2).

Caput 16 agit de ordinatione presbyteri secundum c. 32 Canonum, et forma ordinatoria in utroque loco similis est.

Capita 17—18 describunt institutionem diaconi eodem modo ac legitur in c. 33 Canonum.

C. 20 agit de constituenda diaconissa, de qua silent Canones. (Vide dicenda infra in dissertatione *de hierarchia*).

C. 21 exponit ordinationem conferendam hypodiacono per impositionem manus, quem lectori præfert, cuique in forma ordinatoria assignatur «munus vasa ministerio dicata attrectandi». Confer hæc cum dictis supra ad caput 36 Canonum, in quo agitur de ordinatione

---

cum omnibus vobis», et in liturgia S. Iacobi sequitur eadem formula ritum syrum «*Gratia omnipotentis Dei et charitas Domini nostri Iesu Christi et communicatio* etc.» (Vide quæ de hoc infra notabimus in dissertatione *de liturgia*).

(1) Absentia orationis dominicalis ad finem canonis in liturgia l. VIII Con. apost., indicat eam anteriorem esse illa, quam describit S. Cyrillus Hierosol. in sua 23 catech., in qua reperitur oratio dominicalis.

(2) Accipe sententias, quas l. VIII C. A. deprompsit ex oratione eucharistica Testamenti. Ante institutionem eucharisticam leguntur ex Testamento sequentes sententiæ: «*Factus ex Virgine .... Deus Verbum .... Unigenitus Filius ...., qui in tempore genitus est .... Voluntatem implevit tuam .... cruci affixus .... ut liberaret a cruciatibus, eximeretque eos a morte ... et rumperet vincula diaboli*»; et post verba institutionis ex eodem fonte emanarunt hæc: «*Offerimus tibi, regi et Deo, panem hunc et calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia a te digni facti sumus stare in conspectu tuo et tibi fungi sacerdotio*».

hypodiaconi, qui postponitur lectori, quique sola destinatione præsidis, sine ulla manus impositione instituendus est, ut agnoscas disciplinam de hypodiacono jam immutatam fuisse tempore auctoris l. VIII C. A.(¹).

C. 22 tradit ritum ordinationis lectoris faciendæ ex recentiore usu per manus impositionem(¹).

C. 23 respondet c. 34 Canonum, ubi sermo est de confessoribus, adjecta tamen in l. VIII admonitione eiiciendos et deponendos esse confessores, si confessionis prætextu sibi arrogaverint honores dignitatis episcopalis.

C. 24 respondet c. 38 Canonum de virginibus, addita ea animadversione, virginitatem minime secum ferre incriminationem conjugii.

C. 25 respondet c. 37 Canonum de viduis.

Cum post viduas virginesque auctor Canonum in c. 39 agat de iis, qui fruuntur gratia sanitatum, liber VIII C. A. inserit caput 26, quod inscribit de *exorcista*, quem tamen subdit non esse ordinandum, eique tribuit, quod habent Canones in loco mox indicato de dono sanationis.

Capita 27—28 complectuntur statuta de attributis singulorum ordinum, quæque appellantur *Canones de clero*, et hic inserti fuerunt aliunde ac ex Canonibus ecclesiasticis.

C. 29 agit de benedictione aquæ et olei ab episcopo facienda. In Canonibus quidem c. 31 post liturgiam sermo est de benedicendis oleo, pane, vino, caseo et olivis: in Testamento autem post expletam missam benedicitur oleum infirmorum et aqua. Videtur proinde l. VIII in hoc secutus esse Testamentum.

Quae traduntur in c. 30 de primitiis et in c. 31 de iis, quæ supersunt ex eulogiis, aliunde ac ex Canonibus ecclesiasticis sunt desumpta, quamvis in capite 53 Canonum agatur de primitiis.

C. 32 (1—15) libri VIII C. A. exscribit cc. 40—42 Canonum de recipiendis vel reiiciendis accedentibus ad fidem et de tempore catechumenatus, nonnullis statutis demptis vel immutatis ob immutationem adjunctorum vel disciplinæ, aliisque additis. Sic v. g. inter cetera omittuntur in cap. cit. l. VIII, quæ statuunt Canones de reiiciendo atque reprobando tum catechumeno tum fideli, qui militiam ingredi vellet.

(¹) Vide dicenda infra in dissertatione *de hierarchia*.

In Canonibus ecclesiasticis post ea, quæ supra sunt commemorata, agitur de institutione catechumenorum (c. 43), de impositione manus super illos (44), de electione initiandorum, de jejunio præmittendo susceptioni baptismi (45) et tandem fuse describitur ritus baptismi (46): jamvero liber VIII hæc omnia prætermittit nulla certe alia de causa, nisi quia jam de hisce peractum fuit in lib. VII earumdem Constitutionum (cc. 39; 22; 40—44)(1). Ex quo dijudicandum omnino est librum VIII fuisse conscriptum ab uno eodemque auctore ac librum VII, qui idem dicendus exarasse quoque sex priores libros. (Vide quoad hoc ultimum: Funck, Doctrin. duodecim apost. pag. LIX.)

Occasione arrepta ex festo paschæ, in quo statuitur sive in Testamento, sive in Canonibus conferendum esse baptismum solemne, post supra exposita recenset lib. VIII in c. 33 dies festos a fidelibus observandos(2).

Agapis, de quibus fuse pertractant Canones in cc. 47—52, sub silentio præteritis, tractare suscipit auctor lib. VIII in c. 32, 16 et in cc. 34—39 de horis orationis, de loco, in quo facienda est oratio, traditque formulas recitandas tum a diacono tum ab episcopo quotidie ad orationem matutinam et vespertinam in conventu publico. Capita quidem 32, 16 et 34, ubi sermo est de horis orationis, conveniunt cum capite 62 Canonum, cetera vero ibidem desunt(3).

Caput 40 exhibet formulam benedictionis primitiarum, diversam tamen ab illa, quæ continetur in capite 53 Canonum.

Reliqua capita 41—46, quibus concluditur l. VIII, quæque inscribuntur *de acclamationibus pro defunctis*, *de memoria defunctorum*, *de epulis funebribus*, *de sobrietate clericorum*, *de iis*, *qui pro fide vexantur*, et *de servando ordine hierarchico*, non habent, quæ sibi respondeant in Canonibus.

---

(1) Mirum est tum in l. VII, tum in l. VIII omitti communionem eucharisticam immediate præbendam neobaptizatis.

(2) Vide apud L. Duchesne in opere: «Origines du culte chrétien» Paris 1889 pag. 247 seqq., de ætate, qua fuerunt inducta festum Natalis Domini; p. 230 festum Ascensionis D.; et pag. 254 seqq. festum Apostolorum et festum S. Stephani protomartyris.

(3) Confer dicenda infra in dissertatione *de officio sacro*, ubi demonstratur tempore, quo Testamentum fuit confectum, nondum extitisse quotidianum conventum publicum mane et vespere ad orationem persolvendam.

C. *Perpenduntur Canones Hippolyti.*

Qui primus canones Hippolyti ex lingua arabica in latinam vertit atque edidit, fuit Revr̃us episcopus D. B. de Haneberg anno 1870. Dr. Hans Achelis in suo opere «Die Canones Hippolyti» Hanebergi versionem ita sibi adscivit, ut juxta singulos Canones, dispositos in duabus separatis columnis, exhibuerit locos respondentes tum ex Canonibus ecclesiasticis tum ex libro VIII Constitution. apost. Contendit autem Achelis, in adnexa dissertatione, Canones Hippolyti, quibus romanam originem adjudicat, confectos esse circa finem secundi vel circa initium tertii sæculi, conaturque ex ipsis derivare Canones, qui dicuntur ecclesiastici. Ad suas assertiones probandas modo gratis asserit quamplures inter hippolytanos canones esse adscititios, quos uncinis includit, modo ambiguas et obscuras quasdam sententias non ex contextu aut locis respondentibus canonum ecclesiasticorum explicat, bene vero pro falsa, quam sibi confinxit, opinatione de constitutione pristinæ ecclesiæ ipsiusque ritibus et disciplina; tandem haud raro ipsa menda, quæ incuria amanuensis vel negligentia interpretis fudit, tamquam argumenta assumit atque urget.

Jamvero qui canones Hippolyti attente inspiciet, facile deprehendet auctorem seu compilatorem ipsorum hominem fuisse vulgarem, parum sollicitum de ordine canonum logico, quem contra turbavit, alios ipsis inserendo *extra rem* vagantes.

Ex collatione autem eorumdem canonum cum Canonibus ecclesiasticis evidenter apparet illos ex his originem ducere atque Pseudo-Hippolytum minus apte quædam contraxisse, alia prætermisisse, nonnulla depravasse, plura etiam immutasse atque accommodasse recentiori usui suo tempore vigenti.

In hypothesi contraria, quam tuetur Achelis, dicendus esset auctor Canonum ecclesiasticorum non solum ex confusa mole canonum hippolytanorum rectum eorumdem ordinem reperisse, sed etiam ex recentiore disciplina antiquiorem et puriorem deprompsisse; quæ profecto absona sunt.

Quo evidentius autem innotescat canonum Hippolyti recens ætas eorumque parum accurata digestio, operæ pretium esse duximus

illos ad trutinam vocare, collatione præsertim facta cum Canonibus ecclesiasticis.

Canones 1—6, quos compilator ex suo ingenio elucubravit, sunt loco procemii ad libellum, et præ se ferunt formas dicendi recentiores.

Canones 7—59 respiciunt clerum, respondentque primæ parti Canonum ecclesiasticorum (31—39), cujus sunt quidem compendium, sed parum accuratum.

Expendamus eos tantum canones, qui discrepant a Canonibus ecclesiasticis:

Canon 8 institutioni et consecrationi episcopi assignat non dominicum diem sed sabbatum(¹). Quamvis autem certum sit in primitiva ecclesia diem sabbati tanquam diem liturgicum(²) fuisse celebratum, nihilominus non sabbatum sed dies dominicus fuit vel ab initio habitus tanquam dies festus solemnis et proprius christianæ societatis. Cf. Doctrin. Apost. XIV, 1; Barnab. XV, 9; Ignat. epist ad Magn. IX, 1; Plin. ad Traj. inter epp. Traj. ep. X, 97; Justin. M. Apolog. I, 67.

In canone 10, ubi describitur ritus ordinationis episcopi, dicitur: «*Eligatur unus ex episcopis et presbyteris qui manum capiti ejus* (i. e. episcopi consecrandi) *imponat*». Manifestum est in prolatis verbis redundare illa verba «*et ex presbyteris*», uti ipsa constructio suadet: secus dicendum esset presbyterum habere potestatem ordinandi, quam ei can. 32 expresse denegat.

Pseudo-Hippolytus dum in can. 31 de ordinatione presbyteri dicit «*eadem oratio super eo oretur tota, ut super episcopo, cum sola exceptione nominis episcopatus*», perperam errat, cum monumenta primæ ætatis exhibeant pro ordinatione presbyteri formam distinctam ab illa, quæ assignatur consecrationi episcopi(³).

(¹) Ex confusione duarum similium vocum arabicarum سَبْت (sabbatum) et سَبَّة (hebdomas), quas amanuenses imperiti eodem modo solent scribere, ortus est error versionis latinæ, in qua legitur «*in ea hebdomade, in qua ordinatur episcopus*», qui locus sic corrigendus est: «die sabbati in qua ordinatur episcopus». Ceterum in statuto XXI ecclesiæ æthiopicæ, apud quam solam vigent Canones Hippolyti, præscribitur, ut consecratio episcopi locum habeat *die sabbati*. (Vide Ludolf in Commen. ad suam histor. Æthiopic. pag. 323.)

(²) Vide infra in dissertatione *de festis*.

(³) Testament. l. I. c. 30; Canon. eccles. c. 31.

Porro frustra inde nititur Achelis arguere nihil interesse inter episcopum et presbyterum, cum in canone sequenti indicentur diserte ea, quibus episcopus a presbytero distinguitur.

Canon 32 non satis sibi cohæret, dum ait «*episcopum in omnibus rebus æquiparandum esse presbytero*» et statim subdit «*excepto nomine, cathedra et ordinatione, quia potestas ordinandi ipsi non tribuitur*». Hæc sane sunt, quæ constituunt præcipuum et essentiale discrimen inter episcopum et presbyterum, et quæ proinde demonstrant episcopum superiorem presbytero esse, minime vero ei parem.

Canon 43 videtur ambiguus, dum decernit «*illum, qui steterit coram tribunali propter fidem, pœnasque subierit propter Christum, si postea liber dimissus sit, mereri gradum presbyteralem coram Deo, non secundum ordinationem, quæ fit ab episcopo*», et post hæc subjungit «*confessio fidei est ordinatio ejus*». Ambiguus, inquam, videtur iste canon, qui proinde explicari debet ex Testamento et præsertim ex Canonibus ecclesiasticis, unde ipse proxime derivatur, qui testantur confessoribus fidei fuisse quidem exhibitos *honores presbyterales* seu honores clero tribui solitos, minime autem illos obtinuisse per confessionem potestatem inhærentem ordini presbyteratus. Inter ceteros S. Cyprianus sic rem declarat in sua epistola 35 ad clerum, ubi de confessoribus Celerino et Aureliano sic scribit: «*Ceterum presbyterii honorem designasse nos illis (i. e. Celerino et Aureliano) jam sciatis, ut et cum sportulis iidem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurias æquatis quantitatibus partiantur sessuri nobiscum*» (Migne P. L. IV. p. 324.) Ex quibus apparet confessores in distributione oblationum, quas fideles offerebant, obtinuisse æqualem portionem cum presbyteris, illosque cum presbyteris ad latera episcopi consedisse.

Quamvis Pseudo-Hippolytus ad instar Canonum ecclesiasticorum, quos exscripsit, primo agat de ordinatione *lectoris* (can. 48) et deinde de ordinatione *hypodiaconi* (can. 49), nihilominus alibi semper hypodiaconum nominat ante lectorem (c. 52, c. 217). Ordinationem lectoris sic ibidem describit: «*Neque manus ei (lectori) imponatur primo, sed evangelium ab episcopo ipsi porrigatur*». Dicendum est minime rectum esse ordinationem lectoris fieri per traditionem libri evangelii, cum ipsius officium consistat in legendis lectionibus scripturalibus *præter*

evangelium, quas quidem lectiones plures fuisse, infra in canone 203 satis clare indicatur. Præterea proposita descriptio videtur innuere post traditionem libri manum lectori impositam fuisse: quod recentiorem ætatem prodit.

Canon autem 49, qui vult hypodiaconum eodem modo ac lectorem ordinandum, alienus omnino est ab ecclesiæ statutis.

In Canone 51 præscribitur, ut virgines constituantur per manus impositionem: quod luculentum indicium est recentioris(1) ævi.

Canones 53—54, qui exscribunt c. 39 Canonum ecclesiasticorum, in quo agitur de habentibus charisma sanationis, satis clare prodit suo tempore viros charismatum minime frequentes extitisse. Ait enim: «*Si quis petitionem porrigit, quæ ad ipsius ordinationem pertinet, quod dicit: nactus sum charisma sanationis, non prius ordinetur, quam clarescat ea res. Imprimis inquirendum est, num sanationes, quæ per ipsum fiunt, re vera a Deo deriventur.*

Compilator addit ex suo Canonem 55, qui sic se habet: «*Presbyter, cujus uxor peperit, ne segregetur*». Etiam ex hoc apparet ætas recens libelli.

Succedunt canones 61—107, qui respondent cc. 40—45 Canonum ecclesiasticorum. Ibidem agitur de admittendis vel reiiciendis accedentibus ad fidem, de disciplina catechumenatus et de præparatione ad baptismum. Ex prædictorum canonum inspectione innotescit disciplinam catechumenatus tempore, quo illi confecti fuerunt, iam cœpisse relaxari.

Proferamus nonnulla exempla:

Canon 61 substituit catecheseos præceptori seu doctori *diáconum.*

Canon 63 statuit: «*Servum heri idololatræ, invito domino, non esse baptizandum*», quod profecto adversatur indoli religionis christianæ.

In Canone 69 injungitur ethnicorum puerorum magistro, ut *coram discipulis vituperet cultum idolorum, et sincere profiteatur eos, qui a gentibus dii vocantur, dæmones esse, dicatque coram illis quotidie: Non est Deus nisi Pater et Filius et Spiritus sanctus*». Jamvero hæc

---

(1) Vid. Testam. l. I. c. 46; Canon. eccl. 38; C. A. l. VIII. c. 24.

supponunt christianam religionem plena libertate gaudentem, ut magister professionem mysterii Trinitatis tam sponte ac aperte emittat.

Quod Canones ecclesiastici exposcunt a constitutis in potestate, ut nempe officio renuntient, antequam admittantur ad audiendum verbum, Pseudo-Hippolytus sic in can. 73 illud statutum *christianis* magistratibus adaptat: «*Omnis homo, qui ad gradum præfecturæ vel præcedentiæ vel potestatis elevatus, ornamento justitiæ, quod est secundum evangelium, non induitur, hic a grege segregetur, neve episcopus coram illo oret*».

Canon 80 nequaquam consentaneus est antiquis ecclesiæ statutis, dum ait: «*Christianus, qui vixit cum concubina aliqua, quæ ex ipso peperit filium, si illa spreta aliam ducit, occisor est hominis, nisi forte in fornicatione illam deprehenderit*».

Canones 81—90 continent plura præcepta ad mulierem christianam v. gr. *ne variegata veste aut crinibus indecenter compositis ad ecclesiam veniat; ne prolem nutricibus det; ne curam familiæ negligat; ne superbiat, si aliqua dote præstet; ne voluptatem adamet; ne sit prona ad risum; ne in ecclesia loquatur* etc. etc., subditurque ibidem: *si quis in ecclesia loquitur, expellatur, neque ad mysteria admittatur.* Quæ omnia non solum posterius tempus produnt, sed simul ostendunt compilatorem minime esse sui compotem, dum ejusmodi præcepta miscet canonibus pertractantibus de *catechumenis* et de *catechumenatu.*

Idem dicendum est de Canonibus 93—96, in quibus declaratur *mulierem christianam puerperam non esse ad participationem mysteriorum admittendam ante purificationem ejus, quæ habere locum debet post* 20 *dies a partu masculinæ prolis, et post* 40 *dies a partu femininæ;* et denuo de puerpera agens in canone 100 sibi contradicit statuens *eamdem a sacris excludendam esse usque ad* 40 *diem post partum masculinum et* 80 *diem post partum femininum!*

In Can. 91 non determinatur, quamdiu durare catechumenatus debeat.

Canones 102—105, quamvis agent de *electis* ad suscipiendum baptismum, omittunt ritum exorcizandi electos, in quo præcipue consistit eorumdem(1) dispositio ad baptismum.

---

(1) Vid. Can. ecc. c. 45. Cf. Peregrinationem Silviæ apud Gamurrini edit. 1887 p. 104.

Sequuntur canones 108—153 de baptismi collatione, de unctione, de manus impositione et de communione danda baptizatis, qui canones respondent capiti 46 Canonum ecclesiasticorum.

In can. 130, ubi exhibetur tertia interrogatio facienda ante tertiam immersionem, desunt illa verba: (Credisne) *et in sanctam ecclesiam?*(1)

Secundum canonem 134 formula ad unctionem baptizati per presbyterum proferenda continet invocationem trium divinarum personarum, dum illa unctio conferenda est tantum *in nomine Christi*(2).

In can. 139 prætermittitur post manus impositionem unctio sacri olei ab episcopo facienda in fronte baptizati, itemque omittitur forma, quæ adnectitur unctioni.

Dum declarant canones 146, 147 ab episcopo esse præbendum baptizatis tum sacrum corpus, tum calicem pretiosi sanguinis, recedunt tum a primitivo more ecclesiæ, secundum quem distributio eucharistiæ in utraque specie pertinebat ad diaconum, tum etiam a posteriori disciplina, in qua post inductum usum ut episcopus distribueret speciem panis, retentus est mos antiquus, ut diaconus præberet calicem (Cf. Const. ap. lib. VIII. c. 13).

In canone 153 silentio præteritur revelatio dogmatis resurrectionis carnis facienda neo-baptizatis(3).

Reliqui canones 154—261 agunt de diversis rebus. Nonnisi eos, qui continent aliquid notatu dignum, commemorabimus.

Præter jejunium feriæ quartæ et sextæ, in canonibus 154—156, præscribitur jejunium quadraginta dierum(4); et can. 195—198 imponunt cunctis fidelibus jejunium hebdomadæ paschæ(5) cum usu panis, salis et aquæ, nulla facta diserta mentione jejunii absoluti et continui duobus ultimis ejusdem hebdomadæ diebus, in quibus ablatus est sponsus(6).

Canones 159—185, qui agunt de oblatione, quæ offertur a privato fideli, de eleemosynæ distributione, de agapis, de epulis funebribus,

---

(1) Conf. verb. Tertulliani infra in dissertatione *de baptismo*. Vid. Can. eccl. c. 46.

(2) Can. eccles. c. 46.

(3) Vid. Can. eccl. c. 46.

(4) Cf. Duchesne «Origenes du culte chrétien» ad pag. 231 et seq., ubi demonstrat jejunium quadragesimæ sæculo III recentius esse.

(5) Vid. infra dicenda in dissertat. *de jejunio*.

(6) Vid. Can. eccl. c. 55. Vid. etiam Const. apost. l. V. c. 18 et seq.

de conviviis et de cœnis, ad quas vocantur viduæ, desumpti sunt ex Canonibus ecclesiasticis, exceptis canonibus 163, 164 et 169, quorum primus, qui tractat de dilatione eleemosynæ, et secundus de accendenda lucerna in conviviis vespertinis, quique videntur exhausti ex Testamento l. II. c. 11; tertius autem de epulis funebribus respondet l. VIII. Const. ap. c. 44.

Porro non prætereundum est *pani exorcizato*, quem Canones ecclesiastici c. 48 dicunt dandum catechumeno, substitui in canone 171 *panem purgatum oratione*, et in can. 179 præscribi, ut fidelibus, antequam consideant, distribuatur panis exorcizatus «*ut Deus agapem eorum conservet a timore inimici, utque surgant salvi*». Quæ quidem verba superstitionem sapiunt.

Canones 186—194 sunt de primitiis offerendis benedicendisque ab episcopo, et eamdem formulam ad id exhibent, quæ legitur in Canonibus ecclesiasticis. Attamen, contra vetera monumenta, etiam *legumina* recensentur inter primitias benedicendas.

Can. 215 decernit, ut diaconus sacram eucharistiam adferat ad presbyterum decumbentem, dum Testamentum alium presbyterum ad id designat. Imo concilium nicænum can. 18 expressis verbis testatur «*neque regulam neque consuetudinem tradidisse, ut presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant*».

V.

Aetas auctoris Testamenti definitur.

Modo sese offert quæstio de ætate determinanda Testamenti.

I°. Imprimis extra omne dubium esse debet Testamentum præcedere Ecclesiæ pacem. Sane, plura indicia ibidem ostendunt dominium eo tempore obtinens paganum fuisse. Non solum enim repetitis vicibus in litania diaconali (l. I. c. 35) dicitur: «*Pro imperio supplicemus, ut Dominus ipsi pacem concedat; pro principatibus excelsioribus supplicemus, ut Dominus det eis intelligentiam et timorem sui*»; sed clarius adhuc idem innotescit ex statutis, quibus severe injungitur baptizandis,

ut renuntient militiæ atque magistratui, non alia plane de causa, nisi quia uterque status imperio ethnico subiiciebatur.

Neque minus luculenter id fit manifestum ex multis locis, qui exhibent Ecclesiam tunc temporis quotidiana fere persecutione impetitam. Sic, exempli causa, in primo libro commendantur fidei confessores, qui nempe in vinculis et inter cruciatus Dei nomen confitentur. Sic, quod majoris ponderis est, in oratione, ab episcopo recitanda in publico auroræ conventu, dicitur Deus adesse iis, qui detinentur in carceribus, eosdemque comitari, exoraturque, ut illos liberet. Item, in litania diaconali, tum proclamatur orandum esse pro iis, qui persecutionem patiuntur, tum ad commemorationem confessorum petitur a Deo communi cœtui gratia vitam terminandi eadem ratione ac illi; similiter imploratur pro fidelibus constantia in sustinendis suppliciis usque in finem. In secundo autem libro sermo est disertis verbis de catechumenis, fidei causa, in vincula conjectis vel capite damnatis ante susceptum baptismum.

II°. Præterea facile probari potest auctorem Testamenti ante sæculi quarti initium vixisse ex descriptione ritus, quem exhibet, instituendi et consecrandi episcopi(1). Ubi enim jam initio quarti sæculi sancitum erat, ut episcopi, qui consecrando episcopo manus imponere debebant, non essent infra tres (synod. arelat. an. 314); in documento nostro non determinatur numerus neque episcoporum, qui novo episcopo instituendo adesse, neque illorum, qui ipsi manus imponere debent, sed statuitur, ut cum universa plebe cætuque sacerdotali adsint episcopi vicini, et ut ab uno episcopo a ceteris deputato manus super electum imponatur. Quæ quidem statuta videntur congruere cum iis, quæ S. Cyprianus tanquam ex apostolica observatione hac de re fere ubique servata fuisse scribit: «*Propter quod*, ait, *diligenter de traditione divina et apostolica observatione servandum est et tenendum, quod apud nos quoque et fere per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus* (i. e. episcopus) *ordinatur, episcopi ejusdem provinciæ proximi conveniant .... quod et apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universo fraternitatis suffragio, et de*

---

(1) Cf. infra dicenda hac de re in dissert. *de hierarchia.*

episcoporum, qui in præsentia convenerant ..... judicio, episcopatus ei deferretur et manus ei imponeretur». (S. Cypriani op. Migne P. L. T. III. col. 1064).

Accedit et illud, quod in ritu a Testamento descripto nulla occurrit mentio cæremoniæ, jam sæculi quarti initio universaliter adhibitæ, tenendi nempe, ad manus impositionem, evangeliorum codicis aperti super caput ordinandi.

III°. Ulterius addimus, ex multis capitibus, posse demonstrari nostrum librum jam ante medium tertium sæculum exstitisse.

a) Sane tempore auctoris Testamenti nondum apparent pœnitentes in specialem classem constituti, neque ulla a diacono fit proclamatio ad illos dimittendos, neque totum per librum vestigium ullum occurrit ritus illos reconciliandi. Jamvero Gregorius neo-cæsariensis (233—270) meminit (in sua epistola canonica) *ordinis pœnitentium* stantium extra portam; et in Didascalia, quæ saltem ad medium tertium sæculum refertur, diserte præscribitur, ut pœnitentes redintegrentur per impositionem manuum episcopi cum oratione.

b) Idem Testamentum associat diaconorum ordini, quoad ministerium mulieribus præstandum, non diaconissas, sed viduas ab episcopo specialiter benedicendas, quæ prope domum ecclesiæ degunt, quibusque inter alia tribuit munus visitandi ægrotas, mulieresque in baptismo ungendi, velandique. Primus quoque liber Canonum ecclesiasticorum (c. 21) post diaconos viduas commemorat, non diaconissas. Diaconissas autem Testamentum nominat, verum sine ulla mentione specialis ritus aut benedictionis ad ipsarum institutionem, eisque nullum ministerium committit præter eucharistiam deferendam ad mulieres decumbentes[1].

Jam vero Didascalia expositæ disciplinæ aliam substituit, diaconis associando *diaconissas* (c. 16) et statuendo, eas cum episcopo, presbyteris et diaconis a fidelibus in honore habendas esse (c. 9), ipsisque assignat munus tum visitandi ægrotas, tum ungendi in baptismo mulieres illasque ex fonte suscipiendi (c. 15). De viduis autem, etsi fuse agat, eadem Didascalia (cc. 14, 15) statuit, ut ipsæ orationi tantum vacent et inter domesticas parietes commorentur.

([1]) Cf. quæ infra in dissertatione *de hierarchia* disputaturi sumus de viduis, diaconissis et virginibus.

Cum ergo disciplina, quam circa medium sæculum tertium de viduis et diaconissis tradit Didascalia, diversa sit ab illa, quam tradit Testamentum, sequitur hanc aliquot saltem ante annis jam desiisse, priusquam immutaretur in illam, quam exhibet Didascalia.

c) Cornelius Papa, in epistola quam scripsit anno 251 ad Fabium antiochenum, recensens indicem cleri romani enumerat quadraginta sex presbyteros, septem diaconos, septem subdiaconos, quadraginta duos acolythos, quinquaginta duos exorcistas, lectores et ostiarios (Vide Eusebium H. E. VI. 43). In qua recensione apparet, eo tempore subdiaconos consideratos fuisse longe præstantiores lectoribus, qui penultimo nominantur loco et indiscriminatim cum aliis clericis inferioribus. Item in Didascalia post episcopum, presbyterum et diaconum, nominatur immediate subdiaconus, et alio loco mentio fit etiam lectoris.

Jamvero in Testamento, etsi nominetur hypodiaconus, ei tamen non modo nullum in officio sacro munus assignatur, sed illi præponitur lector, cui, præter officium recitandi scripturales lectiones, committuntur munera auxiliaria diaconatus (1).

Nonne hæc indicant disciplinam, quam exhibet Testamentum, vetustiorem esse illa, quam tradunt Didascalia et Cornelius summus Pontifex, proindeque auctorem Testamenti aetatem auctoris Didascaliæ et Cornelii Papæ antecedere?

d) Ex Testamento jejunium paschæ, impositum cunctis fidelibus, solis constat duobus ultimis diebus, nempe parasceve et sabbato (2), quos Tertullianus (in l. de oratione, 18) appellat *dies, quibus ablatus est sponsus et solos legitimos.* Jam vero idem Tertullianus refert (loc. cit.) quosdam «*ex innovatione et citra traditionem majorum interposuisse semijejunia, pane et aqua victitantes*». Hujusmodi nonnullorum observantia tempore Tertulliani exorta, *citra traditionem majorum*, brevi propagata est, ut Didascalia illam veluti legem imponeret, et Dionysius alexandrinus testaretur semijejunium a nonnullis in jejunium fuisse conversum.

Ex quibus iterum concludendum est Testamentum præcedere Didascaliæ et Dionysii alexandrini ætatem.

---

(1) Cf. quæ infra dicemus de ordinibus inferioribus in dissertatione *de hierarchia.*
(2) Cf. infra dissert. *de jejuniis.*

IV°. Imo emanatio libelli Canonum ecclesiasticorum ex Testamento, quam præcedenti capite demonstravimus factam ante medium sæculum tertium, postulat omnino, ut Testamentum ortum habuerit ante initium sæculi tertii. Debuit profecto tempus aliquod intercedere, antequam Testamentum ab auctore Canonum ecclesiasticorum in compendium contraheretur, eo vel magis quod nonnullis disciplinæ capitibus utpote obsoletis alia fuerint ab eodem suffecta.

Juvat præterea subjicere alia momenta, quæ eamdem sententiam magis magisque confirmant.

1°. Statuta Testamenti respicientia dotes, mores officiaque clericorum produnt disciplinam puriorem et consuetudini primitivæ ecclesiæ proximiorem. Sic præ ceteris præscribitur, ut episcopi et presbyteri eligantur cœlibes vel saltem vidui, ut iidem commorentur in ecclesiis alieni a curis suorum, vacent diu noctuque orationibus, transigantque dies in frequentibus jejuniis, abstinentes ad vitam vino et carnibus.

2°. Celebratio synaxeos liturgicæ *die sabbati* ad morem apostolicum propius videtur accedere. (Cf. Act. XIII, 14.)

3°. Plurimæ occurrunt locutiones in Testamento, quæ præ se ferunt notas vetustissimæ antiquitatis, quarum nonnulæ nonnisi apud scriptores secundi sæculi leguntur(1).

4°. Idem probat præcedentia data lectori super hypodiaconum, necnon assignatio lectori quorumdam diaconi officiorum, prætermisso hypodiacono.

5°. Considerandum est et illud, quod in baptismo dicitur immersio fieri in *aquis fluentibus*.

6°. Non solum non apparet *redditio* symboli ab *electis* facienda utpote nondum inducta, sed ipsa formula symboli fidei *recitativa* videtur *nondum efformata*, eademque consistere tantum in illis interrogationibus, quæ fiunt ad trinam immersionem(2).

7°. Prædictæ *interrogationes* non continent dogma de resurrectione carnis, quod dogma ut *arcanum* tenebatur, solisque neo-baptizatis erat revelandum(2).

8°. Item et signum crucis habitum fuit uti arcanum.

---

(1) Vid. infra in prolegom. c. VI *de fide auctoris Testamenti.*

(2) Vid. infra in dissert. *de baptismo.*

9°. Præ ceteris descriptio, quam nostrum documentum exhibet, auroræ conventus ad laudes Deo persolvendas revocat in mentem, quæ Plinius in sua epistola ad Trajanum (inter epp. Trajani X, 97) refert de christianis Bithyniæ, illos nempe stato die ante lucem solitos fuisse simul convenire ad canendos hymnos Christo tanquam Deo. Testamentum plane cum Plinio conspirat, cum statuit nonnisi ad auroram congregandum esse cœtum ad orationem et solis quidem diebus liturgicis, qui (præter epiphaniam, cujus tamen diem non assignat) in dominicam([1]) cadunt; et laudes quæ ab episcopo celebrantur, diriguntur omnes ad Christum uti Deum, minime vero ad Patrem.

10°. Liturgia potissimum undique expressa maximæ antiquitatis vestigia prodit. Proclamationes illas diaconales ante inchoandam liturgiam: «*Si quis alienus a præceptis Jesu, abeat! Si quis prophetas despicit, semet segreget; ab ira Unigeniti semet servet! ne crucem despiciamus! a minis Domini nostri fugiamus; habemus videntem Patrem luminum cum Filio, Angelosque visitatores!*» nisi dicamus ætatem apostolicam attingere, ipsæ certe non multum ab illa abesse videntur. Liturgia autem ipsa cum descriptione sancti Justini martyris concordare omnino videtur. Post lectiones ex Veteri et Novo Testamento, exhortationemque præsulis, magno silentio facto, fideles orant et sibi invicem dant pacem. Tota proprie dicta liturgia in una oratione eucharistica satis quidem prolixa, sed non interrupta, consistit et nonnisi ad finem eucharisticæ precis populus acclamat: «*Amen!*», et immediate sequitur communio. Pariter orationi eucharisticæ, ceu præfatio seu procemium tantum præmittuntur brevissimæ illæ concitationes: «*Sursum corda!*» et «*Sancta per sanctos!*». Illud quoque est attendendum, abesse in liturgia Testamenti tum hymnum triumphalem angelicum in fine præfationis, tum elevationem ante communionem, utpote nondum introductos.

11°. Ex disciplina de ministro communionis eucharisticæ distribuendæ probatur evidenter auctorem Testamenti ante Tertullianum vixisse. Siquidem Tertullianus, juxta morem jam inductum, ait «*eucharistiæ*

([1]) Quod autem Testamentum etiam sabbatum recenseat uti diem, in qua conventus auroræ celebrandus sit, videtur id respicere christianos ex judæis, minime vero christianos ex gentibus.

sacramentum etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam præsidentium (i. e. episcoporum) *sumimus*»: quam disciplinam testantur etiam documenta Tertulliano posteriora, uti Canones ecclesiastici (c. 46), Constit. ap. (l. VIII. c. 13).

Secundum pristinam autem disciplinam non episcopus, sed *diaconus*, post expletam a præside orationem eucharisticam, distribuebat singulis tum *corpus*, tum *sanguinem* Christi, uti testatur disertis verbis Justinus martyr (Apol. 1, 186). Jam vero nostrum Testamentum hanc adamussim disciplinam perhibet, statuens, ut diaconus distribuat omnibus communionem *sub utraque specie*, exceptis presbyteris, quibus tamen debet pyxidem apertam exhibere, ut illi propria manu sumant sacra mysteria.

12°. Tandem ea, quæ occurrunt in Testamento de charismatibus, suadent auctorem ejus vixisse circa tempus, quo florebat Irenæus, cum scilicet adhuc in Ecclesia viri habentes charismata illa extraordinaria conspiciebantur (Iren. II, 32, 4).

Siquidem in nostro documento sermo est de charismatibus *sanationis*, *scientiæ* et *linguarum*, quibus nonnulli præditi erant, non jam occulte et privatim, sed notorie et publice, adeo ut in conventu sacro isti distinctum locum occuparent, pro iisque in solemni mysteriorum celebratione ad Deum funderentur preces.

Operæ pretium est, ea omnia, quæ in Testamento continentur de charismatibus, hic simul colligere:

a) In capite, quod inscribitur de charismatibus (l. I. c. 47), auctor admonet, viros illos, qui inter fideles charismata revelationis, sanationis vel linguarum habent, habendos esse in veneratione propter ipsorum opera manifesta ac notoria vi charismatum.

b) In capite de institutione presbyteri (l. I. c. 29) denotatur oportere, ut in presbyterum eligatur omnibus eximiis virtutibus præditus, ut dignus fiat, cui a Deo revelentur, quæ conveniant, et donum sanationis ipsi concedatur.

c) In sacra synaxi commemoratis viris charismatibus distinctis locus tribuitur in sanctuario; et immediate post lectores, hypodiaconosque ad accipiendam eucharisticam communionem iidem accedunt (lib. I. c. 23).

d) Tandem celebrans inter missarum solemnia specialem commemorationem ipsorum peragens sic Deum orat: «*Eos qui sunt in*

charismatibus revelationum, sustine usque in finem; qui sunt in charismate sanationis, confirma; qui habent virtutem linguarum, robora».

13°. In capite VI prolegomenorum nec non in decursu dissertationum indicantur alia haud exigua neque levia momenta ad probandum Testamentum ad sæculum Ecclesiæ secundum merito referendum esse.

VI.

Fides auctoris Testamenti.

Etsi Testamentum ubique orthodoxum se prodat, nihilominus, sive quoad sacram scripturam, sive quoad dogmata, continet nonnullas locutiones vel sententias a consueto dicendi modo veterum recedentes, quas hic ordine proferimus, etiam ut exinde melius ætas operis innotescere possit.

A. *De mysterio Trinitatis.*

1°. Vocabulum *Trinitas* (quo sæculo secundo usus est Theophilus antiochenus in ep. ad Autolycum) occurrit pluries in Testamento. In *eucharistica* tamen *oratione* enumerando sub invocata Trinitate tres divinas personas, Filium collocat ante Patrem. Ita enim ibidem post *anamnesim* celebrans orat: «*Offerimus tibi hanc gratiarum actionem, æterna Trinitas, Domine*[1] *Jesu Christe, Domine Pater .... Domine Spiritus sancte*». Notandum etiam S. Ignatium antiochenum in sua epistola ad Magnesios (c. 13) eodem ordine nominare divinas personas: «Studete, ait, conformari in doctrinis Domini et apostolorum, ut omnia .... prospere vobis succedant .... in Filio et in Patre et in Spiritu», quod vetustissimum antiquitatis signum affirmat Remigius Ceillier (Histoire générale des auteurs sacrés, pag. 622). Ceterum sanctus Paulus in formula salutationis seu adprecationis, qua claudit suam secundam epistolam ad Corinthios (c. XIII, 13), Filium nominat ante Patrem, quo ipso ordine memorata formula Paulina transiit in liturgiam byzantinam atque in chaldaicam.

---

(1) Versio æthiopica apud Ludolfum immutavit hunc locum, ita tamen ut locum esse mutilum et sensum imperfectum præseferre Ludolfus in margine adnotaverit.

2°. De Filio, quem *Filium Dei vivi*, *Primogenitum*, *Verbum Patris et Deum* diserte profitetur, hæc prædicantur: *intellectus spiritus imperscrutabilis et ineffabilis*, *manus et brachium Patris*, *præco consilii Patris*, *filius consilii et subsistentiæ Patris;* quæ prædicata frequenter in documentis ante-nicænis occurrunt.

Singularis tamen censenda est illa locutio, quam episcopus in prece auroræ dirigit ad Filium: «Tu habes, ait, essentiam nesciam lædi, ubi neque caries, neque tinea corrumpunt».

3°. Verba recitanda in distributione eucharistiæ sub specie panis ita sonant: «Corpus Jesu Christi, Spiritus sanctus ad sanationem animæ et corporis» (lib. II c. 10). Perspicuum est Spiritum sanctum hic sumi pro sanctificatione spiritus suscipientis sacrum corpus, minime vero confundi eucharistiam cum Spiritu sancto.

B. *De mysterio Incarnationis.*

1°. Explanans in mystagogia Incarnationem, de Filio Dei dicit: «Eundem venisse in uterum virginalem sese occultando cunctis cœlestibus exercitibus, atque phalanges adversas injecisse in ignorantiam» (lib. I. c. 28). Plurimi inter veteres opinati sunt Incarnationem fuisse occultatam dæmoni (Euseb. quæst. ad Steph. I, c. 2 apud Mai nova Patr. bibl. IV, 1, 220; Fragment. syr. Curet. 219. 250; Andreas Cret. or. IV in nativ. Mariæ, Migne Patr. gr. XCVII, 854; Origenes homil. VI in Luc.; Basilius hom. in Christi generat.; Hieronymus in Matth. I, 18). Etiam sanctus Ignatius antiochenus in sua epistola ad Ephesios (c. 19) scripserat: «*Principem mundi latuit Mariæ virginitas et partus ipsius et mors Domini: tria mysteria clamoris, quæ in silentio Dei patrata sunt*», ubi affirmando dæmonem ignorasse virginitatem Mariæ et ipsius partum, eo ipso includit eumdem latuisse adventum Domini in uterum virginalem seu Incarnationem. Porro verba illa «*sese occultando cunctis cælestibus exercitibus cum venit in uterum etc.*» non videntur significare, Filium Dei angelis occultasse suam Incarnationem, sed insinuare *illud mysterium in silentio Dei fuisse perpetratum* juxta verba sancti Ignatii in memorato nuper loco.

2°. In imponendo novo episcopo immediate post consecrationem jejunio trium hebdomadum, quæ demptis diebus dominicis constituunt

decem et octo dies, subdit: «juxta numerum decem et octo ingressuum, per quos transiit Unigenitus veniens ad passionem», quasi ita rationem afferens dierum impositi jejunii. Quid sibi velint isti decem et octo ingressus seu introitus ad passionem, prorsus non liquet. Ipsa quoque versio arabica ecclesiæ copticæ non satis perspectum habens, quinam sint isti decem et octo introitus ad passionem, eorum numerum ad tres reduxit.

C. *Quoad historiam evangelicam.*

Occurrunt in Testamento quædam, quæ evangelicæ narrationi haud plane respondent, uti illud quod Dominus post suam resurrectionem fuerit palpatus ab apostolis Thoma, Matthæo et Joanne. Undenam hæc Testamentum hauserit, non constat.

Item et illud, ubi apostolis Petro, Joanni, Thomæ, Matthæo et Andreæ Dominum ante passionem suam colloquentibus ingeritur Mathias. Forsan errori librarii tribuenda est adjectio ultimo loco Mathiæ nominis, eo vel magis quod prædicti Mathiæ in apostolorum collegium post ascensionem cooptati minus recte nomen scribatur in codice Mossulano sic *Mathos* (ܡܬܘܣ).

Illud etiam in Testamento evangelicæ veritati adversatur, quo Petrus princeps apostolorum post Joannem vel alium apostolum nonnunquam commemoretur.

Hic notare licet et illud, quod ubi statuit Testamentum, ut baptisterium habeat longitudinem viginti et unius cubitorum, latitudinem autem duodecim, subjungit ad primum «*in figuram plenarii numeri prophetarum*» et ad secundum «juxta numerum illorum, qui prædicarunt in mundo evangelium». Notum porro est sanctum Epiphanium in vita prophetarum *viginti quatuor prophetas* recensere.

Tandem a sacris litteris recedit, quod in Testamento (lib. I. c. 28) tribuatur Moysi textus Paulinus «neque oculus vidit, neque auris audivit .... quæ Deus paravit diligentibus se».

D. *De hierarchia cælesti.*

Prædictis subnectenda postremo sunt ea, quæ attinent ad *hierarchiam cælestem.* Testamentum itaque non solum diverso modo ac

Pseudo-Dionysius choros cœlestes recenset, sed nominat quosdam, qui nullibi commemorantur. In quatuor locis fit mentio chororum hierarchiæ cœlestis, nempe: 1° in liturgia, 2° in oratione presbyteri ad auroram, 3° in oratione episcopi ad auroram, 4° in formula exorcismi in baptismo. Plenior est illa, quæ fit in liturgia, in qua recensentur: archangeli, dominationes, gloriæ, throni, indumenta seu amictus(¹), lumina, lætitiæ et deliciæ.

Porro *archangeli* nominantur etiam in omnibus tribus aliis indicatis locis; *gloriæ* tum in oratione presbyteri ad auroram, tum in formula exorcismi; *lumina* et *dominationes* in oratione episcopi ad auroram et in formula exorcismi; reliqui vero chori, nempe *throni*, *indumenta*, *lætitiæ et deliciæ* non commemorantur in tribus prænotatis locis. E contra occurrit in oratione episcopi ad auroram et in formula exorcismi etiam mentio *principatuum* et insuper in formula exorcismi nominantur *angeli*, *Cherubim et Seraphim.*

VII.

Patria auctoris Testamenti.

Deficientibus certis testimoniis, nequit tuta ferri sententia de patria Testamenti.

In epigraphe quidem ad calcem ejusdem operis asseritur illud fuisse Hiersolymis transmissum ad mansiones. Sed præterquam quod nullam meretur fidem inscriptio illa a falsario ficta ad vindicandam auctoritatem operi apocrypho, alia videntur obstare, quominus Hierosolyma vel Palæstina Testamenti patria esse credantur. Nulla enim per totum opus occurrit mentio neque judæorum, neque ipsorum sectarum, neque eorumdem morum.

Potius collocanda videtur patria Testamenti in Syria vel Aegypto, ubi vidimus illud fuisse vulgatum, notumque. Quod attinet autem ad æthiopes, censendum est Testamentum ad illos pervenisse ex alexan-

(¹) In Mystagogia de Filio Dei Unigenito prædicatur, eum esse coronam angelorum, robur archangelorum, amictum seu indumentum exercituum, et spiritum dominationum.

drino patriarchatu, cui ipsi subduntur. Iam vero videtur Aegyptus excludenda ex eo, quod desit in ipso opere ritus exhibendi potus lactis et mellis recens baptizatis.

Quamquam nos minime latet librum posse aliunde originem habere, quam ubi propagatus reperitur, nihilominus cum ex probabili nulla ratione possit alia patria Testamento assignari, arbitramur standum esse pro Syria, eo vel magis quod alia quoque ejusdem generis opera, uti sunt *Canones ecclesiastici apostolorum* et Constitutiones apostolicæ, fere unanimi eruditorum judicio ortum habuerunt in Syria.

TESTAMENTUM

DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI

[Folio 339 verso columna 1]

ܟܪ̄(1). ܕܝܬܩܐ ܐܘܟܝܬ ܡ̈ܠܐ ܕܐܡܪ ܡܪܢ ܠܫ̈ܠܝܚܐ ܩܕ̈ܝܫܐ ܟܕ ܩܡ ܡܢ
ܡ̈ܝܬܐ ܘܐܬܟܬܒ̈ ܒܝܕ ܩܠܝܡܝܣ ܕܪܘܡܝ ܬܠܡܝܕܗ ܕܦܛܪܘܣ
ܒܟܬܒ̈ܐ ܬܡܢܝܐ.

ܟܬܒܐ ܩܕܡܝܐ.

ܘܗܘܐ ܡܢ ܒܬܪ ܕܩܡ ܡܪܢ ܡܢ ܡ̈ܝܬܐ ܘܐܬܚܙܝ، ܠܢ. ܘܐܬܠܒܟܢ ܡܢ ܬܐܘܡܐ ܘܡܬܝ، ܘܝܘܚܢ. ܘܐܬܬܩܝܡܢ ܕܩܡ ܫܪܝܪܐܝܬ ܡܠܦܢ ܡܢ ܡ̈ܝܬܐ. ܟܕ(2) ܢܦܠܢ ܥܠ ܐܦ̈ܝܢ. ܡܒܪܟܝܢ ܗܘܝܢ ܠܐܒܐ ܕܫܠܚܗ(3) ܒܝܕܬܐ ܐܠܗܐ. ܗܘ ܕܟܕ ܚܙܐ ܡܫܝܚܐ ܡܪܢ ܦܩܕ ܠܢ. ܘܟܕ ܒܕܚܠܬܐ ܦܚܒܠܬܐ ܦܫ ܐܬܬܚܝܕܢ(4). ܫܐܠܢ ܟܕ ܢܒܠܒܢ ܐܝܟ ܥܕ̈ܬܐ ܕܠܐ ܡܠܐ. ܟܕ ܕܝܢ ܚܙܐ ܡܪܢ ܡܫܬܐ ܐܝܕܐ ܥܠ ܟܠ ܚܕ ܚܕ ܡܢܢ ܐܘܕܥ ܠܢ ܟܕ ܐܡܪ. ܠܡܢܐ ܡܫܐܠ(5) ܢܦܠ ܠܒܟܘܢ. ܘܡܠܬܟܘܢ ܗܟܝܢ [col. 2] ܒܬܘܗܡܐ. ܠܐ ܢܕܥܝܢ ܐܢܬܘܢ ܕܡܥܒܕܝܢ ܗܘ ܗܘ ܕܢܕܝܪ ܥܒܝܕܬܐ ܠܡܥܒܕ. ܠܝܬ ܦܘܪܫܢܐ ܕܗܢܘܢ ܕܝܢ ܠܒܢܐ ܗܡܠܡܘ ܒܗ. ܠܐ ܗܟܢܐ ܗܡܠܠ ܐܝܟ ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܢܒ̈ܝܐ(6) ܘܬܫܡܫܬܐ ܬܡܝܡܬܐ. ܐܠܐ ܐܝܟ ܒܢ̈ܝܐ ܕܢܘܗܪܐ.

---

(1) In codice S titulus ita legitur: ܟܬܒܐ ܩܕܡܝܐ ܕܩܠܝܡܝܣ ܕܡܬܩܪܐ ܕܝܬܩܐ ܕܡܪܢ ܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ: ܡ̈ܠܐ ܗܠܝܢ ܕܡܢ ܒܬܪ ܕܩܡ ܡܢ ܡ̈ܝܬܐ ܡܠܠ ܠܫ̈ܠܝܚܘܗܝ، ܩܕ̈ܝܫܐ ܀ — Versio autem *copto-arabica* in codice Musei Borgiani de Propaganda Fide sic titulum exhibet: عهدُ سيّدنـا يسوع المسيح الاهنا الذي عملهُ مع تلاميذهِ بعد قيامتهِ من بين الاموات لاجل انقضاء هذا الدهر والشدائد التي تكون على الارض وظهور المسيح الكذّاب ولاجل نواميس البيعة وهو الكتاب الاوّل من الثمانية المنفذة على يد اقليميس

(2) Secundum lectionem cod. S. — Codices autem M et B habent ܘܟܕ cum copulativa.

(3) Cod. S habet ܕܫܠܚܗ ܚܕ̈ܬܐ.

(4) Cod. S habet erronee ܐܬܬܚܕܕܢ.

[Fol. 339 vers. col. 1]

Testamentum seu verba, quæ Dominus Noster ex mortuis resurgens dixit suis sanctis apostolis, quæque per Clementem Romanum discipulum Petri fuerunt in octo libris scripta.

Liber primus.

(Prologus.)

Per nomen tuum, Domine, Deus omnipotens dilectique Filii tui Jesu Christi hosce exorcizo: depelle ex animabus horum tuorum famulorum omnem morbum et ægritudinem, omne scandalum et omnem infidelitatem, omnem dubitationem, omnem contemptionem, quemvis spiritum immundum, omnem operam magicam et mortiferam, quæ sub terra ignea, tenebrosa, graveolente, incantatrice, et voluptuosa subsistit, auri cupidinem arrogantem, argentique cupidinem furentem. Sane, Domine Deus, cessare fac a servis hisce tuis, qui in te nominati sunt, satanæ arma, omnem magiam, incantamenta, idolorum cultum, divinationem, astrologiam, necromantiam, stellarum observationem, astronomiam, passionum illecebras, turpium libidinem, angorem, cupidinem argenti, ebrietatem, adulterium, fornicationem, lasciviam, audaciam, litigationem, iram, confusionem, pravitatem, malamque suspicionem. Sane, Domine, exaudi me et in hosce famulos tuos insuffla spiritum pacis, ut a te custoditi, per te producant fructus fidei, virtutis, sapientiæ, puritatis, asceseos, patientiæ, spei, concordiæ, modestiæ et laudis, quoniam tibi vocati sunt servi in nomine Jesu Christi, cum in Trinitate, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizantur, testibus tuis angelis, gloriis, dominationibus, omnique cœlesti militia [col. 3]. Domine qui es subsistentia vitæ nostræ et illorum, custodi corda ipsorum, Deus, quoniam fortis et gloriosus es per omnia sæcula sæculorum. Universus populus et sacerdotes dicant:

Amen, fiat, fiat, fiat.

Si, dum episcopus exorcismum profert, aliquis exagitetur, repenteque exsurgens fleat, vel clamitet, vel spumet, vel dentes frendat, vel procaciter adspiciat, vel admodum se extollat, aut celeri impetu abreptus evadat, si quis ejusmodi (deprehendatur), a diaconis abscondatur, ne perturbatio fiat, dum episcopus loquitur. Qui ejusmodi fuerit, exorcizetur a sacerdotibus, donec mundetur et tum baptizetur.

Postquam sacerdos exorcizaverit eos, qui oblati fuerunt, aut qui

ܠܐ ܕܟܝܐ. ܢܦܫܝ ܒܗܘܢ ܒܗܝܠܐ. ܢܣܬܘܡ ܐܝܟ ܒܝܬ ܚ̈ܛܝܐ ܕܒܠܗܘܢ.
ܥܠ ܣܒܪܐ. ܥܠ ܠܒܐ. ܥܠ ܐܪ̈ܙܐ. ܘܡܗܝܡܢܐ ܢܗܘܐ ܐܝܟ ܐܢܘܢ ܀

ܣ̄. ܒܫܘܠܡܐ ܕܝܢ ܐܘܪܚܗܘܢ ܕܦܫܝܛܐ. ܒܥܒܕܐ ܒܫܘܡܠܝܐ ܢܗܘܐ. ܟܕ
ܫܦܝܪ ܘܡܝܬܝܪ. ܟܕ ܫܡܥܝܢ ܩ̈ܠܐ ܘܬܫܒ̈ܘܚܬܐ. ܘܡܙܡܘܪ̈ܐ ܕܡܠܟܘܬܐ(1) ܀
ܒܫܠܡܘܬܐ ܕܝܢ ܗܕܐ ܐܘܪܚܬܐ ܢܬܕܒܪܘܢ(2) ܠܐܠܗܐ ܘܟܕ(3) ܡܬܬܚܡܝܢ
ܡܬܬ̈ܪܝܢܐ ܒܕܡܘܬܐ ܠܥܕܬܐ ܡܩܪܒܬ ܠܐܠܗܐ. ܡܕܡ ܐܚܪܢܐ ܠܐ ܢܬܠܘܢ
ܒܥܠܡܗܘܢ ܗܢܘܢ ܕܡܬܒܥܝܢ ܕܒܥܒܕܘܢ. ܐܠܐ ܐܢ ܚܕ ܠܣܘܟܐ
ܠܐܘܪܬܦܠܝܐ ܀

ܢܬܚܢܘܢ ܕܝܢ ܗܟܢܐ. ܟܕ ܐܬܝܢ ܠܘܬ ܡܪ̈ܢܐ. ܢܣܒܘܢ ܕܝܢ ܦܪܘܢ
ܡܢ̈ܐ ܕܟܡ ܘܐܡܝܢ. ܡܕܡܚܬ ܥܒܕܝܐ. ܒܬܪܝܡ ܒܢ̈ܝܐ. ܒܬܪܝܡ ܢܟ̈ܐ ܀
ܐܢܫܝܢ ܐܝܟ ܐܝܟ ܕܠܒܬܘܠܘܬܐ ܓܒܝܐ ܕܢܛܪܘܢ: ܗܢܐ ܡܕܡܝܐ ܢܗܘܐ
ܒܐܬܪܐ ܕܐܦܝܣܩܘܦܐ ܀
ܢܫ̈ܐ ܕܝܢ ܟܕ ܚܡܪ̈ܝܢ ܡܨܛ̈ܢܥܝܢ ܒܥܕܢܝܢ ܀ ܐܠܦܢܐ ܚܠܡܘܢ ܐܝܠܝܢ(4)
ܕܡܫܡܫܢ ܕܢܦܫܗܘܢ ܦܬܓܡܐ ܒܡܘܒܕܬܐ ܒܟܢܘܢ(5) ܘܢܦܫܗܘܢ ܦܬܓܡܐ
ܒܬܪ ܒܗܢܐ. ܐܝܟ ܠܐ ܡܫܡܫܝܢ. ܐܟܗܢܘܢ ܣܠܩܝܢ ܢܚܠܘܢ ܐܘ
ܐܝܟ ܡܢ ܒܬܪܗܘܢ ܀
ܟܕ ܕܝܢ ܢܣܒܝܢ ܗܢܘܢ ܕܩܒܠܝܢ ܡܢ ܒܬܪ ܕܚܙܝܢ ܘܐܬܚܪܝܢ. ܢܣܒܐ
ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܐܢܘܢ(6) ܐܝܟ ܒܗܘܢ ܐܝܟ ܐܘ ܒܢ̈ܬܐ ܕܐܝܟ ܠܗ ܒܗ ܒܥܘܬܐ
ܕܕܗܒܐ. ܐܘ ܐܝܟܐ ܕܐܝܬ ܒܠܥܕ ܕܗܒܐ. ܘܠܐ ܠܚܕ ܪܕܡ ܠܗ ܒܪ
ܕܝܗܘܐ ܐܝܬ ܠܗ ܒܗܡ ܒܢ̈ܝܐ ܡܕܡ ܢܦܪܘܫ. ܐܠܐ ܢܠܒܫ ܠܥܠܡܗܘܢ
ܕܢܒܥܝܢ ܠܗ ܀
ܟܕ ܕܝܢ ܒܬܪܝܢ ܕܢܣܒܘܢ ܡܫܝܚܐ ܠܡܫܝܚܘܬܐ ܢܦܠܐ ܥܠܘܗܝ،
ܘܢܕܪܐ ܗܘ ܐܦܝܣܩܘܦܐ. ܐܚܪܢܐ ܕܝܢ ܢܗܡܐ ܒܡܡܫܝܚܘܬܐ ܗܘ ܕܠܘܬ(7)
ܡܬܬ̈ܪܝܢܐ. ܘܠܡܘܢ ܡܢ ܕܡܬܬܘܡܐ ܒܠܡ ܡܫܡܫܢܐ. ܘܢܩܘܡ ܠܘܬܗ

(1) Cod. B habet ܕܡܠ̈ܐܟܘܬܐ.
(2) Cod. B legit ܕܢܬܕܒܪܘܢ.
(3) Cod. B habet ܟܕ.
(4) Cod. S habet ܗܢܘܢ.
(5) Cod. S habet erronee ܢܚܠܘܢ.
(6) In cod. S legitur ܕܠܟܐ.
(7) In cod. M ܠܘܬ sine ܕ.

inventus fuerit immundus, insufflet in ipsos, signet eos in fronte, ad nares, ad pectus, ad aures et sic eosdem in ordine disponat.

VIII.

Diebus autem quadraginta paschæ maneat populus in templo, vigilans, orans, audiensque scripturas, hymnos et sermones doctrinæ.

Sabbato autem ultimo vigilent nocte (fideles in ecclesia) cum exorcizantur catechumeni, usque ad mediam noctem ejusdem sabbati.

Suscepturi baptismum nihil secum afferant, præter unum panem ad eucharistiam.

Hoc autem modo baptizentur, dum accedunt ad aquas, quæ debent esse mundæ et fluentes; primo pueri, deinde viri, tandem mulieres.

Si quis (accedens ad baptismum) velit virginitatem vovere (Deo), hic baptizetur primus ab episcopo.

Mulieres, dum baptizantur, solvant comam.

Pueri omnes, qui valent in baptismo (per se) responsum dare, respondeant, repetentes verba post sacerdotem: sin autem minime (respondere) valeant, respondeant pro illis eorumdem parentes vel familiaris aliquis ipsorum.

Cum post responsum descendunt baptizandi in aquas, videat episcopus, ne quis vir gerat annulum, vel mulier ornamentum auro confectum: (si) quidem nemini fas est quiquid alienum in corpore habere, dum in aquis est, sed quod habet, tradat iis, qui prope sunt.

Cum sint signandi oleo in unctionem, episcopus oret super illud (oleum) et gratias agat, item aliud (oleum) exorcizet exorcismo catechumenorum. Illud quidem, quod exorcizatur, deferat diaconus et prope ipsum sistet presbyter. Qui igitur sistit prope oleum, super quod fit oratio gratiarum actionis, sit in parte dextera, et qui sistit prope aliud (oleum), quod exorcizatur, sit in parte sinistra.

Apprehendens [fol. 347 r. col. 1] (episcopus) singulos baptizandos, qui

ܡܥܒܕܐ. ܗܘ ܕܝܢ ܡܫܠܡ ܕܦܩܕ ܠܘܬ ܗܘ ܕܫܕܪܗ ܟܠܗܘܢ، ܬܘܕܝܬܐ
ܕܡܫܝܚܐ ܢܗܘܐ ܒܡܫܒܚܐ. ܗܘ ܕܝܢ ܕܦܩܕ ܠܘܬ ܗܘ ܕܡܬܬܘܕܐ ܒܡܩܒܠܐ܀
ܘܟܕ ܠܟܘܢ [fol. 347 rect. col. 1] ܠܟܠ ܚܕ ܢܬܐܠ. ܟܕ ܡܬܦܢܐ ܠܡܕܢܚܐ
ܗܘ ܕܥܡܕ. ܘܢܐܡܪ. ܐܡܪ. ܟܦܪܐܢܐ ܒܟ ܣܛܢܐ. ܘܒܟܠܗ ܦܠܚܘܬܟ
ܘܒܟܠܗ ܫܘܦܪܐ ܕܝܠܟ. ܘܒܬܪܥܝܘܬܟ. ܘܒܟܠܗܘܢ ܥܒܕܝܟ. ܘܟܕ ܗܠܝܢ
ܐܡܪ ܘܐܘܕܝ، ܢܬܡܫܚ ܒܡܫܚܐ ܗܘ ܕܡܗܡܟ ܟܠܗܘܢ، ܟܕ ܐܡܪ ܗܘ
ܕܡܫܚ ܠܗ ܗܟܢܐ. ܡܫܚ ܐܢܐ ܡܫܚܐ ܗܢܐ ܕܡܗܡܢܘܬܐ. ܠܥܪܘܩܘܬܐ
ܕܡܢ ܟܠ ܪܘܚܐ ܒܝܫܬܐ ܘܠܡܟܐܒܬܐ. ܘܠܥܪܘܩܘܬܐ ܕܡܢ ܟܠ ܒܝܫܬܐ܀
ܘܬܘܒ ܟܕ ܠܘܬ ܡܕܢܚܐ ܚܙܝܐ ܠܗ ܢܐܡܪ (ܐܡܪ:)(1) ܫܠܡ ܐܢܐ ܠܟ
ܐܒܐ ܘܒܪܐ(2) ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ. ܡܢ ܗܘ ܕܟܠ ܒܢܝܐ ܙܚܠ ܘܙܐܥ. ܗܟܝܠ
ܕܐܚܕ ܟܠܗܘܢ ܒܬܕܝܢ ܕܠܐ ܡܟܐܡ܀

ܐܝܟܢܐ ܒܬܪ ܗܠܝܢ ܢܫܠܡܘܗ ܠܡܫܝܚܐ ܗܘ ܕܡܥܡܕ. ܘܢܩܘܡܘܢ ܥܡܗ
ܡܝܐ ܟܕ ܥܪܛܠܝܢ. ܢܣܒ ܕܝܢ ܒܐܝܕܗ ܡܥܡܕܢܐ ܒܗ ܒܡܥܡܘܕܝܬܐ. ܟܕ ܕܝܢ
ܢܚܘܬ ܗܘ ܕܥܡܕ ܠܓܘ ܡܝܐ. ܢܐܡܪ ܗܘ ܕܡܥܡܕ ܠܗ ܟܕ ܐܝܕܗ ܣܝܡ
ܠܗ ܥܠܘܗܝ، ܗܟܢܐ. ܡܗܝܡܢ ܐܢܬ ܒܐܠܗܐ ܐܒܐ ܐܚܝܕ ܟܠ. ܗܘ ܕܥܡܕ
ܢܐܡܪ. ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ. ܢܥܡܕܗ ܡܚܕܐ ܚܕܐ ܙܒܢ. ܒܬܪܟܢ ܬܘܒ ܢܐܡܪ.
ܡܗܝܡܢ ܐܢܬ ܐܦ ܒܡܫܝܚܐ ܝܫܘܥ ܒܪܗ ܕܐܠܗܐ. ܗܘ ܕܡܢ ܐܒܐ
ܐܬܐ. ܗܘ ܕܩܕܡ ܐܝܬܘܗܝ، ܥܡ ܐܒܐ. ܗܘ ܕܐܬܝܠܕ ܡܢ ܡܪܝܡ
ܒܬܘܠܬܐ ܒܝܕ ܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ. ܗܘ ܕܐܨܛܠܒ ܒܝܘܡܝ ܦܢܛܝܘܣ
ܦܝܠܛܘܣ. ܘܡܝܬ ܘܩܡ ܠܬܠܬܐ ܝܘܡܝܢ. ܚܝܐ ܡܢ ܡܝܬܐ. ܘܣܠܩ ܠܫܡܝܐ.
ܘܝܬܒ ܕܝܢ ܡܢ ܝܡܝܢܐ ܕܐܒܐ ܘܐܬܐ ܠܡܕܢ ܚܝܐ ܘܠܡܝܬܐ. ܟܕ ܕܝܢ
ܐܡܪ ܗܘ ܕܡܗܝܡܢ ܐܢܐ. ܢܥܡܕܗ ܙܒܢܐ ܕܬܪܬܝܢ. ܘܬܘܒ ܢܐܡܪ.
ܡܗܝܡܢ ܐܢܬ ܐܦ ܒܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ. ܒܥܕܬܐ ܩܕܝܫܬܐ. ܘܢܐܡܪ ܗܘ
ܕܥܡܕ. ܡܗܝܡܢ ܐܢܐ. ܘܗܟܢܐ ܢܥܡܕܗ ܙܒܢܐ ܕܬܠܬ܀

ܒܬܪܟܢ ܕܝܢ ܟܕ ܣܠܩ ܢܬܡܫܚ ܡܢ ܡܫܚܐ ܕܩܘܕܫܐ. ܗܘ ܕܐܡܒܪܐ
ܟܠܗܘܢ، ܬܘܕܝܬܐ. ܟܕ ܐܡܪ ܟܠܗܘܢ، ܡܫܚ ܐܢܐ ܠܟ ܒܡܫܚܐ ܒܫܡܐ
ܕܝܫܘܥ ܡܫܝܚܐ܀ ܢܫܐ ܕܝܢ ܦܡ ܐܢܬܬܐ ܗܠܝܢ ܕܡܨܪܢ ܢܬܒ ܢܬܡܫܚܢ.
ܟܕ ܐܡܪ ܟܠܗܘܢ ܡܫܚܐ. ܦܢܝܢ ܕܝܢ ܐܢܬܬܐ. ܐܦ ܒܗ ܒܡܥܡܕܢܘܬܐ.

---

(1) Addendum est hic verbum ܐܡܪ.

se versus occidentem convertunt, dicat: «Dic: *Abrenuntio tibi, satanas, tuoque universo cultui, tuis scenis, tuis cupiditatibus, cunctis tuis operibus*» et, postquam hæc dixerit et professus fuerit, ungatur oleo exorcizato, dum ille, qui ipsum ungit dicit: «*Ungo* (te) *hoc oleo ad liberationem ab omni spiritu pravo et impuro et ad liberationem ab omni malo.*»

Hinc illum convertat versus orientem et dicat illi: «Dic: *Submitto me tibi, Pater, Fili et Spiritus sancte, a quo omnis natura trepidat et pavit, da mihi ut omnia tua placita sine macula perficiam.*»

Deinde episcopus tradat illum presbytero, qui baptizare debet.

Baptizandi stent nudi in aquis. Cum baptizando descendat et diaconus simili modo.

Cum itaque baptizandus descenderit in aquas, baptizans manum ei imponens dicat ita: «*Credis in Deum, Patrem omnipotentem?*» et baptizandus respondeat: *Credo.* Et continuo illum prima vice baptizet. Tum sacerdos dicat: *Credis et in Christum Jesum Filium Dei, qui ex Patre venit, qui a principio cum Patre est, qui ex Maria Virgine per Spiritum sanctum natus est, qui crucifixus est sub Pontio Pilato, mortuus est, resurrexit tertia die reviviscens ex mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, et venturus est ad judicandos vivos et mortuos?* et cum ille respondeat: *Credo*, eumdem secunda vice baptizet. Deinceps dicat: *Credis et in Spiritum sanctum; in Ecclesiam sanctam?* et qui baptizatur dicat: *Credo;* et illum tertio baptizet.

Deinde, cum ex aqua ascendit, ipsum ungat presbyter oleo, super quod gratiarum actio recitata fuit, dicens: «*Ungo te oleo in nomine Jesu Christi*».

Mulieres a viduis habentibus præcedentiam sessionis ungantur, cum presbyter recitat super illas (formulam). Item in collatione baptismi eædem viduæ intra velum teneant mulieres obducto velo, cum epi-

---

(2) In cod. B legitur ܐܒܐ. ܒܪܐ. ܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ.

ܬܬܣܝܡ ܦܘܪܫܢܐ ܢܬܠ ܐܝܟ ܟܕ ܦܪܘܫܐ ܒܗ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܐܡܪ ܗܟܢ ܡܫܡܫܢܘܬܐ. ܘܗܟܢܐ ܗܢܝܢ ܕܡܫܡܫܝܢ ܠܗܘܢ(1)܀

ܠܐ. ܡܛܠ ܐܪܡܠܬܐ ܢܗܘܘܢ ܒܕܝܬܐ. ܢܓܒܐ ܕܝܢ ܟܠܗܘܢ ܐܝܕܐ ܗܘ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܡܢ ܟܠܗ̇ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܒܗ ܐܡܪ ܘܦܢܐ ܟܠܗܘܢ ܗܟܢܐ.

ܩܪܝܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ:

ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܗܘ ܕܒܟ ܒܪܝܢ ܚܝܠܐ ܢܣܒ ܡܚܝܠܐ. ܡܠܒܫ ܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܠܥܠܝܡܐ ܕܒܠܝܟ ܡܩܕܫܐ. ܘܟܕ ܪܘܚܐ ܐܦܝܬ ܕܢܟܠܠܘܢ ܢܟܢܐ ܕܒܠܝܟ ܠܗܘܢܬܐ. ܗܘ ܕܐܫܟܚܬ [col. 2] ܠܗܠܝܢ ܕܒܪ̈ܝܟ ܕܡܫܡܫܢܐ(2) ܕܒܠܝܟ ܢܬܩܢܘܢ ܠܥܘܒܕܐ ܕܫܠܡܐ ܒܕ ܚܫܝܬܐ ܕܠܒܐ ܕܡܟܝܟܐ. ܘܟܠܗ ܒܡܚܫܒܬܐ ܕܠܐܚܪܬܐ ܘܫܥܒܕܐ ܕܠܐ ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܢܒܬ ܡܢܗܘܢ. ܐܝܟܢܐ ܐܝܟ ܕܢܬܒܚܪܘܢ ܡܢ ܪܘܚܟ ܡܩܕܫܐ ܒܐܝܕܝܗ ܐܝܬܝܟ. ܒܗ ܡܟܝܢ ܐܝܬ ܠܗܘܢ ܠܡܬܒܢܝܘ. ܐܝܟܢܐ ܕܢܟܠܘܢ ܠܟ ܐܝܟ ܝܪܝܟܝܢ ܥܢܪܬܐ ܐܠܗܐ. ܘܢܒܥܘܢ ܦܘܪܩܢܐ ܕܒܠܝܟ ܒܫܦܝܘܬܐ ܘܟܕ ܦܠܝܓ ܒܟܠܗ ܗܠܝܢ ܕܐܬܬܣܝܡ ܕܝܚܝܕܐ ܕܒܠܝܟ ܢܓܠܘܢ ܠܡܬܒܝܢܐ ܕܒܠܝܟ ܕܠܟܠܗ. ܒܐܝܕܝܟ. ܘܟܕ ܒܪܝܟ ܚܝܠܐ ܢܫܡܫܢܐ. ܗܘ ܕܒܐܝܕܘܗܝ ܠܟ ܬܫܒܘܚܬܐ ܘܐܝܩܪܐ ܥܡ ܪܘܚܐ ܡܩܕܫܐ ܠܟܠܗ ܠܟܠܗܘܢ܀

ܟܕ ܒܬܚܘܬܐ. ܐܦ ܒܗ ܡܫܝܚܐ ܐܬܐ. ܒܗ ܐܒܕܐ ܦܩܘܕ ܟܠ ܪܫܗ ܢܐܡܪ. ܓܡܪܫ ܚܡܫ ܐܒܐ ܒܐܠܗܐ ܐܚܝܕ ܟܠ ܘܡܫܡܫܢܐ ܢܬܦܢܐ. ܘܒܪܘܚܐ ܡܩܕܫܐ. ܐܡܝܢܐ ܕܬܗܘܐ ܠܗ ܩܠܝܐ ܕܐܝܬ ܠܗ ܗܝܡܢܘܬܐ ܡܫܡܠܝܬܐ ܘܡܐܟܠܐ ܕܢܦܪܘ ܠܗ܀

ܘܟܕ ܢܦܩ ܠܗ ܟܠ ܚܕ ܚܕ ܚܒܪܘܗܝ, ܢܦܠ ܠܗ ܥܠܡܐ ܘܢܐܡܪ. ܡܪܝܐ ܐܠܗܐ ܕܡܬܒܪܟܐ ܢܗܘܐ ܚܟܝܡ. ܘܗܘ ܕܐܬܬܚܝܡ ܢܚܢܐ ܘܢܐܡܪ. ܘܟܕ ܪܘܚܐ ܕܒܠܝܟ. ܘܗܟܢܐ ܟܠ ܚܕ ܚܕ܀

ܠܒ. ܘܡܛܠ(3) ܐܪܡܠܬܐ ܡܢ ܟܠܗ ܒܟܠܐ ܢܛܠܝܢ܀ ܘܦܘܪܩܢܐ ܡܢ ܡܫܡܫܢܐ ܢܬܦܪܫ. ܘܗܟܢܐ ܢܗܘܐ ܙܟܝܐ. ܠܣܒܐ ܕܝܢ ܡܬܦܪܫ ܠܦܘܩܕܢܐ ܕܦܓܪܐ ܕܒܠܐ. ܒܗܘܐ ܒܫܘܪܝܐ ܢܬܡܨܐ. ܡܟܝܠ ܕܝܢ ܒܫܘܪܝܐ ܘܒܣܘܦܐ. ܫܘܕܥܐ ܟܢܫ ܐܝܬܘܗܝ, ܕܕܒܪܐ ܘܕܫܡܫܬܐ(4). ܐܝܟܢܐ ܕܐܦ ܒܪܢܫܐ ܗܘ

(1) Videtur legendum ܘܗܟܢܐ (ܒܗ ܐܡܪ) ܗܢܝܢ ܕܡܫܡܫܝܢ ܠܗܘܢ.

(2) Cod. M B habent erronee ܒܡܫܡܫܢܐ.

(3) In cod. B deest ܘ.

(4) Sic legitur in cod. B. — Cod. M habet ܫܘܕܥܐ ܟܢܫ ܕܕܒܪܐ ܘܬ̈ܗܘܢܐ ܕܫܡܫܬܐ.

scopus profert formulas professionis; itemque dum profert formulas abrenuntiationis.

IX.

Cum itaque congregati simul fuerint in ecclesia, episcopus imponat super illos manum et dicat sic proferens super illos

Invocationem Spiritus sancti.

Domine Deus, qui per dilectum Filium tuum Jesum Christum sanctos tuos apostolos Spiritu tuo sancto replevisti; qui per eundem Spiritum concessisti, ut beati prophetæ tui loquerentur; qui dignos effecisti [col. 2] hosce famulos tuos, ut per Christum tuum mererentur remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis, atque ab iis omnem caliginem erroris tenebrasque infidelitatis abstergisti, fac ipsos per tuam philanthropiam dignos, qui tuo Spiritu sancto repleantur, tribuens eis tuam gratiam, ut serviant in veritate tibi, Deus, secundum tuum placitum, sancteque præcepta tua adimpleant, ut, præstantes omni tempore, quæ sunt voluntatis tuæ, ingrediantur in tabernacula tua æterna per te et per dilectum Filium tuum Jesum Christum, per quem tibi gloria et imperium cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum.

Similiter (episcopus) oleum infundens et manum super caput ejus (i. e. recens baptizati) imponens dicat: *Ungendo ungo (te) in Deo omnipotenti, in Christo Jesu et in Spiritu sancto, ut sis operarius habens fidem perfectam et vas ipsi gratum.* Et signans illum in fronte, det ipsi pacem dicens: *Deus humilium sit tecum;* et qui obsignatur respondeat: «*Et cum spiritu tuo*». Et ita cum singulis faciat.

X.

Hinc (recens baptizati) una cum universo cœtu orent.

Oblatio a diacono deferatur (ad episcopum) et ab episcopo gratiæ agantur.

Panis quidem offertur in typum corporis mei, calix vero miscetur

ܕܟܠܗ ܗܘ ܚܝܠܗ ܕܐܒܘܗܝ، ܢܦܫܐ ܠܥܠܡ ܕܕ̈ܪܝܢ ܢܬܘܬܐ. ܠܥܠܡ ܚܝܠܗ(1) ܕܐܒ ܦܓܪܐ. ܘܟܠܗ(2) ܚܒܫܐ ܐܝܟ ܗܠܝܢ ܕܡܬܒܪ ܐܬܐܡܪ̈ܢ ܚܡ ܐܡܝܢ. ܢܫܡܥܘܢ ܡܢ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܕܡܬܩܪܒܐ. ܡܥܡ̈ܕܢܐ ܢܣܒܘܢ : ܐܝܟܢܐ ܕܡܬܡܪ ܐܬܐܡܪ̈ܢ، ܗܘ ܕܫܡܥ ܢܐܡܪ ܦܓܪܐ ܕܡܫܒܚ ܡܫܝܚܐ. ܙܘܓܐ ܡܕܒܚܐ. ܠܐܦܝܬܐ ܕܢܦܫܐ ܘܦܓܪܐ. ܗܘ ܕܫܡܥ ܢܐܡܪ. ܐܡܝܢ ܀

ܗܘ ܕܐܡܪ ܡܢ ܚܫܐ ܕܒܝܐ ܠܢܦܫܗ ܡܚܠܨ. ܒܗ ܒܡܗܝܡܢܘܬܐ. ܐܦ ܗܘ ܕܢܬܐ ܘܫܬܩ. ܘܠܐ ܙܢܐ ܠܗ ܠܡܢ ܕܝܗܒ ܐܝܬܘܗܝ،(3). ܢܬܬܠܒܘܢ ܕܝܢ ܡܢ ܚܫܝܐ ܫܢܝܢ ܕܫܠܡܝܢ ܡܩܪܒܢܐ. ܕܐܝܟܢܘܢ ܠܡܟܡܪ̈ܐ ܒܟܪ̈ܐ ܠܟܠܐ. ܕܢܣܒܘܢ ܐܡܫܚܐ. ܕܡܫܠܘܢ ܥܝܘܡܐ. ܘܡܢ ܟܬܪܐ ܠܟܠܐ. ܢܬܠܒܘܢ ܒܕܘܟܬܐ. ܘܢܬܠܒܘܢ ܐܦ ܡܠܠ ܡܫܝܚܐ ܕܦܓܪ̈ܐ. ܡܕܡ ܕܫܡܥ ܐܢܫ ܡܡܥܡܕܢܘܬܐ. ܠܐ ܐܢܫ ܢܕܚܘܩ ܠܓܠܝܬܐ ܕܡܠܠ ܡܫܝܚܐ. ܫܢܬܐ ܠܢ ܦܘܡܐ ܗܘ ܕܒܪܬܐ ܐܒܘܗܝ، ܕܐܝܬ ܠܗ ܥܡܗ ܒܪܬܐ. ܠܗܘ ܕܠܐ ܐܢܫ ܢܕܥ. ܐܠܐ ܗܘ ܕܫܡܥ ܀

[col. 3] ܡܥܡܕܢܐ ܠܡܫܝܚܐ ܡܩܪܒܢܐ ܠܐ ܢܫܡܥ. ܦܠܚܐ ܐܘ ܒܒܒܬܐ ܢܬܬܢ ܘܡܫܝܚܐ ܢܫܡܥ ܀

ܡܥܡܕܢܐ ܠܒܚܐ ܢܬܠ ܒܐܒܝܗ ܀

ܡܥܡܕܢܐ(4) ܒܪ ܠܐ ܡܢܝܢ ܡܫܝܚܐ. ܒܐܝܣܐ ܢܚܕܪ ܀

ܐ̄. ܐܝ̱ ܢܦܠ ܐܢܫ ܬܫܡܫܬܐ ܡܕܡ ܕܢܦܠ ܠܐܪܥܠܝܬܐ ܐܘ ܠܡܫܒܚܘܬܐ. ܐܘ ܠܐܢܫ ܕܡܩܒܪܢܐ ܒܬܘܠܬܐ ܚܐܢ ܘܐܡܝܢ. ܒܪ ܢܡܘܬ ܬܠܬܝܢ، ܘܐܢܫܝܢ ܠܐ ܒܡܘܡܐ ܕܠܡܢܪ ܢܘܦ ܡܕܡ ܒܠܘܗ، ܡܢ ܗܠܝܢ ܕܒܠܗ ܘܡܚܒܐ ܢܬܠܒܘܢ، ܐܬܬܝ، ܒܪ ܠܬܠܗ ܠܢܦܫܗ ܕܡܫܡܫܢܐ ܀

(1) Deest ܚܝܠܗ in cod. M et in cod. S.
(2) Cod. S legit erronee ܕܟܠܗ.
(3) Cod. B legit ܠܡܢ ܕܝܗܒ ܕܐܝܬܘܗܝ،.
(4) Desunt in cod. B a verbo ܡܥܡܕܢܐ ܒܪ ܠܐ ܡܢܝܢ usque ad ܠܢܦܫܗ ܕܡܫܡܫܢܐ.

(2) Valde corruptus fuit hic locus in versione copto-arabica. Sic enim ibidem legitur «*Nemo sciat mysteria* regni cœlorum ante susceptum s. baptisma. Hæc est oblatio, quæ habet nomen novum, quam nemo potest scire, nisi, qui meruit baptisma evangelii.»

(3) Interpres copto-arab. omittit eucharistiam *a diacono* sub utraque specie præbendam esse fidelibus.

vino cum aqua mixto ad significandum sanguinem et aquam lavacri, ut et homo interior, qui spiritualis est, mereatur ea, quæ sunt similia, quemadmodum et corpus. Omnes juxta prædicta sumant ex eucharistia, quæ offertur, dicentes: *Amen.* Diaconi circumvolitent (flabellas?). Et, uti præcedenter dictum fuit, ille, qui dat communionem, dicat: *Corpus Jesu Christi, Spiritus sanctus, in sanationem* (medicinam) *animæ et corporis.* Et qui suscipit respondeat: *Amen.*

Qui effundit (sanguinem) ex calice,(¹) judicium sibi comparat: item qui videt et tacet, quin illum (i. e. effundentem calicem), quisque ipse fuerit, reprehendat.

Incitentur suscipientes eucharistiam a sacerdotibus ad bona opera sollicite facienda, ad diligendos peregrinos, exhibendumque (Deo) famulatum in jejunio et in omni bono opere.

Iidem etiam doceantur dogma resurrectionis corporum(²): ante enim susceptum baptismum, nemo verbum de resurrectione cognoscat. Hoc est enim statutum novum, habens nomen novum, quod nemo noscit, nisi qui suscipit (eucharistiam).

[col. 3] Diaconus(³) ne præbeat communionem eucharisticam presbytero, sed discooperiat patenam vel pyxidem, et presbyter ipse (ex illa) sumat.

Diaconus populo communionem distribuat manu.

Absente presbytero, et necessitate urgente, diaconus baptizet.

XI.

Si quis accipit aliquod donum (i. e. cibum) deferendum ad viduam vel ad mulierem pauperem vel ad aliquem, qui assidue occupatur ecclesiasticis negotiis, eo ipso die illud donet; si autem in crastinum illud apud se differt, addat aliquid ex suo et sic donum illud auctum det. Panis enim pauperis apud ipsum diu moratus est.

(¹) Versio copto-arab. simili modo cavendum esse addit, ne quid ex fragmentis panis eucharistici super terram decidat.

ܒܥܒܕܬܐ ܐܚܪܬܐ ܕܦܘܫܩܐ ܒܣܘܥܪܢܐ ܥܒܕܐ ܢܬܩܪܒ ܠܣܓܕܐ ܘܦܘܫܐ.
ܘܗܘ ܕܝܗܒ ܣܠܩ ܗܘ ܡܢܐ ܕܩܪܒ ܗܘ ܕܩܪܒ܀

ܢܬܩܪܒ ܕܝܢ ܥܢܝܢܐ ܒܗܝܟܠܐ ܡܢ ܡܫܡܫܢܐ ܟܕ ܐܡܪ(1) ܠܟܗܢܘܬܗ
ܕܡܪܢ(2) ܥܡ ܟܠܟܘܢ. ܘܟܠܗ ܥܡܐ ܢܐܡܪ. ܘܥܡ ܪܘܚܐ ܕܝܠܟ.
ܡܙܡܘܪ̈ܐ ܕܝܢ ܪ̈ܘܚܢܝܐ ܢܐܡܪܘܢ ܒܟܢ̈ܘܫܐ. ܘܬܫܒܘܚܬܐ ܠܘܬ ܕܠܡܐ
ܕܥܢܝܢܐ܀ ܗܠܠܘܝܐ ܒܡܙܡܘܪܐ ܘܡܫܒܚܬܐ ܥܒܝܕܬܐ ܐܚܝܕܐ ܒܟܢܘܫܬ
ܒܪܬ ܩܠܐ ܢܥܢܐ ܟܠܗ ܥܡܐ. ܘܠܐ ܐܢܫ ܢܥܒܕ ܒܘܪܟܐ. ܒܥܡܐ ܕܗܘ
ܕܐܡܪ ܥܠܐ. ܟܕ ܗܘ ܒܡܫܡܠܝܘܬܐ ܐܦ ܐܚܪܬ، ܕܡܬܦܪܫܐ ܩܢܘܢܐ ܐܘ ܡܠܬܐ
ܕܡܫܠܡܘܬܐ ܡܬܐܡܪܐ܀ ܐܢ ܡܛܠ ܥܡܐ ܕܩܪܝܐ ܡܬܬܠܠ ܘܡܠܝܢ
ܕܥܪܒܐ. ܐܡܝܢܐ ܕܗܘܐ(3) ܡܢ ܒܝܘ ܡܫܘܕܥܐ. ܠܐ ܐܢܫ ܢܬܠܘܢ ܟܕ ܣܠܩ ܓܠ܀

ܒ̄. ܥܢܝܐ ܕܦܘܫܩܐ ܡܢ ܒܬܪ ܥܒܕܬܐ ܢܗܘܐ ܒܟܠܗܝܢ ܕܠܠܝܐ܀

ܦܠܝܡܘܣܦܠܐ ܠܐ ܐܢܫ ܢܦܘܩ ܐܠܐ ܢܣܒ ܒܘܪܟܐ. ܕܢܫܘܬܐ ܒܪ
ܐܢܫܘܬܗܘܢ ܩܕܡܝܬܐ ܘܕܚܝܠܘܬܐ܀

ܗܟܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܡܩܒܠܝܢ ܡܘܗܒܬܐ ܕܥܒܕܐ ܢܦܩܘܢ ܢܩܝܦܘܢ ܡܠܠ
ܩܕܡܝܬܐ(4) ܕܦܠܝܡܘܣܦܠܐ. ܘܟܠ ܚܕ ܒܥܒܕܐ܀

ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܗܟܝܠ ܩܘܪܒܢܐ ܕܩܘܪܒܢܐ ܢܐܡܪ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܠܩܘܪܒܢܐ.
ܟܕ ܗܢܘܢ ܕܠܒܝܫܝܢ ܚܘ̈ܪܐ ܡܫܟܠܝܢ ܡܢ ܚܕ̈ܕܐ ܘܐܡܪܝܢ ܗܠܠܘܝܐ܀

ܓ̄. ܒܫܥܡܕܝܬܐ ܐܘ ܒܢܘܪܬܐ ܢܗܘܘܢ ܗܟܢܐ ܕܐܚܝܕܐ ܩܕܡܝܢ
ܡܢ ܙܒܢܐ ܐܝܟ ܕܠܒܘܪܟܬܐ. ܡܬܬܪܬܝܢܐ ܠܐ ܢܗܘܐ.

ܐܢ ܐܢܫ ܕܐܝܬܘܗܝ ܒܬܘܠܐ. ܐܘ ܡܢ ܠܒܪܐ ܕܗܘ(5) ܕܐܝܬܘܗܝ، ܡܠܦܢܐ
ܕܐܝܬܝܬܐ ܠܐ ܢܩܝܡ ܠܗ. ܘܢܥܒܕ ܒܥܡܗ. ܐܠܐ ܢܬܟܠ ܒܥܠܡܗ ܡܠܠ ܠܒܪܐ
ܐܘ ܡܠܠ ܥܠܡܘܬܐ. ܕܠܒܪܐ ܗܠܝܢ ܕܠܐ ܡܬܬܠܠܝܢ ܢܩܝܡ ܠܕܐܒܐ. ܘܗܘ ܢܥܒܕ
ܕܡܒܥܐ܀

(1) Cod. B legit ܘܒܐܡܪ.
(2) Cod. B habet ܕܡܪܝܐ.
(3) Sic in cod. B. — Cod. M habet ܐܡܝܢܐ ܡܢ ܒܝܘ ܡܫܘܕܥܐ.
(4) Cod. B habet ܒܩܕܡܝܬܐ.
(5) In cod. M ܗܘ.

Mossulano tum in Borgiano. Interpres copt-arabs sic prædictum locum exhibet: «Feria quinta ad vesperas offerat sacerdos panem et calicem mixtum aqua et vino ad implendum mysterium paschæ. . Item faciat die sabbati.»

Feria quinta ultimæ hebdomadæ paschæ offeratur panis et calix; et qui passus est pro eo, quod obtulit,(1) ipse est qui accedit.

Offeratur lucerna in templo a diacono, qui dicit «Gratia Domini nostri cum omnibus vobis», et omnis populus respondet «Et cum spiritu tuo».

Psalmos spirituales dicant pueruli, et cantica ad accensionem lucernæ. Universus populus psallens voce consona respondeat: «Alleluja.» Nemo autem genua flectat, donec is, qui dicit, desierit. Item si lectio legitur, vel doctrinæ verbum profertur.

Quando itaque nomen Domini profertur, vel cetera alia, uti supra commemoratum fuit, nemo se inclinet, ingrediens reptans.

XII.

Paschæ solutio fiat media nocte, quæ sequitur sabbatum.

In pentecoste nemo jejunet, neque genua flectat: sunt enim illi dies dies quietis et lætitiæ.

Qui oneribus laboris gravantur, sese recreent aliquantulum diebus pentecostes, et quavis die dominica.

Episcopus ante oblationem sacrificii congruenter dicat dicenda ad oblationem, cum alba induti ab invicem suscipientes dicant «Alleluja».

XIII.

In cœna aut in convivio sumant (fractionem) ii, qui proximi sunt pastori, tamquam ad benedictionem. Catechumenus autem non recipiat.

Qui familiaris aut consanguineus est magistri rerum profanarum, non permittat, ut ille secum laudet, neque cum illo edat ratione consanguinitatis aut ob congruentiam, ne forte ea, quæ ineffabilia sunt, tradat lupo, et ipse sibi judicium assumat.

---

(1) Sic vertimus ad verbum locum istum obscurum, prouti legitur tum in codice

ܗܢܘܢ ܕܐܡܪ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܡܬܬܪܝܡ ܠܥܕܬܐ ܕܡܫܡܫܢܐ. ܢܬܟܠܘܢ
ܡܢܝܟܢܝܬ ܒܢܝܚܘܬܐ. ܠܐ ܒܪܘܓܬܐ ܐܘ ܠܐܣܛܘܬܐ. ܘܐܬܟܠܐ
ܐܝܟܢܐ ܕܢܚܫܘܢ ܗܘ ܕܡܩܒܠ ܐܘ ܐܝܟܢܐ ܕܬܬܒܢܐ ܠܥܕܬܐ ܕܗܘ ܕܡܢܐ.
[fol. 347 v. col. 1] ܐܠܐ ܗܟܢܐ ܢܓܠܘܢ ܐܝܟܢܐ ܕܢܓܠܐ ܗܘ ܕܡܢܐ. ܕܡܩܒܠܐ
ܢܬܠܘܢ ܠܥܕܬܗ. ܐܝܬܘܢ ܓܝܪ ܐܬܘܬܝܢ ܡܠܝܫܢ ܕܐܪܥܐ ܥܒܕܬܘܢ ܀

ܡܛܠ ܕܟܕ ܐܚܠܡ ܡܬܪܬܚܝܢܝܬ ܢܬܟܠܘܢ. ܐܝܟܢܐ ܕܐܦ ܢܐܬܪ
ܠܗܘܢ. ܐܦ ܠܗܘܢ ܕܢܨܒܐ: ܗܘ ܕܡܢܐ ܢܬܪ. ܐܝܟܢܐ ܕܢܦܩܘܢ ܐܬܘܬܗܘܢ
ܠܗ. ܐܝܟ ܡܐܟܠܬܐ ܕܡܬܬܪܡ ܡܢ ܡܩܕܫܐ. ܘܢܣܒܐ ܟܠ ܬܘܬܪܐ ܀

ܗܢܘܢ ܕܐܬܝܢ ܠܥܪܘܒܬܐ ܕܒܫܒܬܐ. ܠܐ ܢܬܟܘܢ ܐܝܟܢܐ ܡܢܝܢ ܗܢܘܢ
ܕܡܥܒܕܝܢ. ܐܠܐ ܐܝܟܢܐ ܒܐܟܠܘܢ ܘܡܩܪܒܝܢ ܢܬܠܘܢ ܀

ܗܢܘܢ ܕܐܚܠܡ ܠܐ ܢܬܟܠܘܢ(1) ܒܟܠܬܐ. ܐܠܐ ܒܟܠܐ ܢܬܟܠܘܢ. ܐܠܐ
ܐܢ ܐܢܫ ܢܙܟܐ. ܐܘ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܐܘ ܡܫܡܫܢܐ ܢܫܐܠ. ܢܦܩܐ ܦܬܓܡܐ ܀

ܟܕ ܕܝܢ ܢܐܡܪ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܡܠܬܐ. ܟܠ ܐܢܫ ܢܫܬܐܝܬ ܟܕ ܡܫܒܚ
ܥܠܝܗ ܢܩܒܠܐ ܗܘ ܠܗ ܒܪܘܚܐ ܕܩܘܕܫ(2) ܢܫܬܐܠ ܀

ܝܕ. ܐܢ ܐܢܫ ܦܐܪܐ ܐܘ ܬܠܕܐ ܡܩܪܒܝܢܐ ܕܟܠܠܬܐ ܢܟܒܕ ܪ̈ܫܝܬܐ.
ܢܦܪܘܫ ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ ܀

ܝܗ. ܐܢ ܐܢܫ ܢܦܘܩ ܡܢ ܥܠܡܐ ܐܘ ܡܫܡܫܢܐ. ܐܘ ܡܫܡܫܢܝܬܐ.
ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܒܢܝܐ ܝܬܡܐ ܡܣܟܢܐ. ܠܥܕܬܐ. ܐܝܟܢܐ. ܕܥܕܬܐ ܬܐܡܪ
ܕܒܢܝܗܘܢ. ܘܡܢ ܗܠܝܢ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܡܩܒܠܐ ܒܬܬܝܒܝܢ. ܐܝܟܢܐ
ܕܢܬܠ ܐܠܗܐ ܬ̈ܫܒܚܐ ܠܒܢܝܗܘܢ. ܘܢܝܚܬܐ ܠܢܦܫܗܘܢ ܕܥܒܕܘ(3) ܀ ܐܢܕܝܢ
ܕܠܐ ܒܢܝܐ ܐܝܬܘܗܝ، ܐܢܫ ܠܐ ܢܗܘܐ ܡܢܝܢܐ ܢܫܘܐ. ܐܠܐ ܟܕ ܗܝܡܢܬܐ
ܡܢ ܩܢܝܢܗ، ܠܡܣܟܢܐ ܢܬܠ ܘܠܥܕܬܐ ܐܝܟ ܨܒܝܢܗ. ܗܠܝܢ ܕܙܕܩ ܘܦܩܕ ܠܗ
ܟܠܗܘܢ ܢܦܠܐ ܀ ܐܢ ܐܢܫ ܐܝܬ ܠܗ ܒܢܝܐ(4) ܘܢܙܟܐ ܕܡܟܠܬܬܐ(5)

(1) In cod. S habetur ܠܐ ܢܬܟܠܘܢ.
(2) Deest ܕܩܘܕܫ in cod. M.
(3) Cod. S habet ܕܥܒܕܘ.
(4) Cod. S perperam habet ܒܢܝܢܐ.
(5) In eodem cod. S legitur ܕܟܬܠܬܐ.

(1) Veri simile est fuisse in græco verbum εὔχομαι, quod et *precari* et *gloriari* significat. Interpres syrus priorem sensum secutus male vertit. Iuxta contextum verti debuisset: *ut glorietur . . . sanctos suam domum ingressos esse.*

Qui cum episcopo vocantur ad domum viri fidelis, edant moderate atque cum discretione, neque (bibant) ad ebrietatem aut (manducent) ad intemperantiam, neque ita ut ad risum moveatur, qui prope adstat, vel mœrore afficias domum illius, qui advocavit. [fol. 347 v. col. 1] Potius sic ingrediantur domum illius, qui invitavit, ut poscat(1) is, qui vocavit, ut sancti suam domum ingrediantur. Audistis enim vos esse sal terræ.

Qui comedunt, comedant quidem abundanter, sed ita ut superabundent reliquiæ tum vobis, tum iis, ad quos, qui invitavit, vellet mittere æstimans cibum, qui superabundavit, tamquam relictum a sanctis et de illo gaudens.

Invitati, dum consident in convivio, ne extendant manus ante seniores, sed tum incipiant manducare secundi, cum primi jam desierint.

Edentes ne certent colloquio, sed edant in silentio. Si tamen quis cupiat aut episcopus vel presbyter interroget, responsum det.

Episcopo autem verbum proferente, quivis submisse laudet, sibi silentium seligens, donec interrogetur.

XIV.

Qui fructus aut primos proventus segetum primitias vult offerre, offerat episcopo.

XV.

Si migraverit ex sæculo vir vel mulier fidelis, cui sunt filii, dent ipsorum bona ecclesiæ, ut illa filiorum agat curam, et ut ex iis, quæ habent, etiam pauperes subleventur, ut sic Deus filiis concedat gratiam et iis, qui reliquerunt, requiem.

Qui non habet liberos, ne plura possideat bona, sed ex iis, quæ possidet, distribuat multa pauperibus et in carcere detentis, sibi reservans ea, quæ congruunt et sufficiunt.

Qui liberos habeat, cupiatque secedere tamquam ad vovendam virginitatem, distribuat omnia bona pauperibus, et secedat ad ascetice

ܬܬܒܥܐ. ܟܕ ܡܬܒܥܘܗܝ܆ ܟܠܗܘܢ ܢܗܒ ܠܡܦܩܢܐ ܬܬܒܥܘܬܐ(1). ܘܬܒܥܐ ܠܘܬ ܟܕܒܬܐ. ܟܕ ܟܢܝܫܝܢ ܠܘܬܐ ܡܬܬܐܡܢ ܘܡܬܬܪܝܬܐ܀

ܗ̄. ܠܦܐܪܐ ܦܐܫܘܢ ܕܡܬܬܪܝܢ ܠܐܦܝܣܩܘܦܐ. ܒܢܝ ܗܟܢܐ܀ ܐܠܗܐ ܡܗܝܡܢ ܠܝ ܒܟܠ ܙܢ. ܘܐܦ ܒܗܢܐ ܗܡܟܐ ܗܟܢܐ ܕܡܬܪܚܡܝܢ ܠܝ ܬܫܬܐ ܕܦܐܪܐ ܗܠܝܢ ܕܝܗܒܬ ܠܝ ܠܡܐܟܘܠܬܐ. ܟܕ ܥܡܠܝܬ ܐܢܘܢ ܒܚܝܠܟ ܘܒܡܠܬܟ. ܟܕ ܦܩܕܬ ܕܝ ܫܘܪܝܐ ܕܥܒܕܘܬ ܟܠܗܐ ܕܬܦܩ ܐܪܥܐ ܦܐܪܐ ܡܫܬܢܝܐ. ܠܣܒܘܥܬܐ ܘܠܒܘܣܡܐ ܠܒܢܝܢܫܐ ܘܠܟܠܗܘܢ ܚܝܘܬܐ. ܥܠ ܗܠܝܢ ܡܫܒܚܝܢ(2) ܠܟ ܡܪܝܐ. ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܗܠܝܢ ܕܒܗܘܢ ܣܓܝܬ ܠܢ ܥܒܕܬ. ܟܕ ܡܠܝܬ ܠܢ ܠܟܠܗ ܐܪܥܐ ܒܦܐܪܐ ܡܫܬܢܝܐ. ܒܪܝ ܕܝܢ ܐܦ ܠܒܪܝ ܗܢܐ ܥܠ. ܘܡܛܠ ܚܫܘܗܝ ܘܩܝܡܬܗ. ܟܕ ܒܪܝ ܚܫܘܫܐ ܢܗܒ ܡܚܝܢܐ. ܕܒܐܝܕܘܗܝ ܠܝ ܬܫܡܫܬܐ ܘܐܣܘܪܐ ܘܐܘܚܕܢܐ ܒܗ ܙܘܢܐ ܡܕܒܪܐ ܠܟܠܗܘܢ ܒܠܒܢ ܟܠܗܐ ܐܚܝܢ܀ ܡܪܝܐ(3) ܕܝܢ ܠܐ ܡܬܬܪܒܝܢ. ܐܠܐ ܦܐܪܐ ܕܐܝܠܢܐ. ܗܟܢܐ(4) ܘܙܪܥܐ ܘܥܡܪܬܐ܀

ܘ̄. ܥܠ ܟܠܗܘܢ ܐܝܠܝܢ ܕܢܩܪܒܝܢ ܘܐܟܠܝܢ ܡܢܗܘܢ. ܢܙܕܘܢ ܘܢܦܠܘܢ ܠܬܘܬܐ ܘܠܐ ܥܡ ܬܘܠܬܐ ܘܡܘܠܐ ܢܐܟܠܘܢ܀ ܣܒܝܩܐ ܐܦ ܕܕܒܝܫ ܠܦܬܘܪܐ. ܠܐ ܐܝܟ [col. 2] ܢܬܠܚܡ܀

ܙ̄. ܒܢܘܗܪܬܐ ܕܩܘܡܐ ܬܬܪܐܝܬ ܒܢܘܗܪܬܐ ܗܘܢ ܐܢܫܝܐ. ܒܪܘܚܬܐ ܘܡܫܡܬܐ. ܒܠܠܝܐ ܘܒܐܝܡܡܐ. ܢܬܠܘܬܐ ܢܫܘܡ ܐܝܟ ܡܢܝܢܐ ܕܬܫܡܫܬܐ. ܡܠܘܬܐ̈ ܕܝܢ ܒܚܘܠܬܐ ܬܬܪܓܡ ܘܡܢܝܢܐ ܡܫܬܠܡܐ ܘܡܫܬܡܫܢܐ܀ ܫܡܪܐ ܕܝܢ ܘܡܩܪܒܐ ܕܬܠܠܘܬܐ. ܒܡܦܬܪܘܬ ܡܘܗܒܐ ܢܗܘܘܢ܀

ܚ̄. ܡܛܠ ܡܫܬܥܝܢܐ ܗܢܘܢ. ܕܐܟܠܝܢ ܘܫܬܝܢ ܒܝܬ ܢܓܗܐ. ܕܙܠܡܐ ܐܝܬ ܫܘܪܐ ܠܐ ܡܬܟܫܦܐ. ܡܢܘܬܐ ܢܫܒܩܘܢ ܐܢܘܢ. ܟܕ ܒܕܡܘܬܐ ܐܦ ܗܝܦܩܕܝܢܘܗܝ. ܠܐ ܢܫܡܥܘܢ ܐܢܘܢ ܕܢܫܬܡܥܘܢ. ܢܠܡܐ ܒܢܝ ܐܝܬܘܗܝ ܕܡܠܘܬܐ ܗܘ ܠܝܠܐ ܗܘ. ܘܬܬܪܐܝܬ ܗܘ ܕܥܒܕܬܐ܀

---

(1) Idem cod. S habet ܬܐܡܢ.
(2) In cod. B desunt ܥܠ ܗܠܝܢ ܡܫܒܚܝܢ ܠܟ ܡܪܝܐ.
(3) Cod. B habet ܡܪܢܐ.
(4) Ibid. legitur in forma sing. ܗܟܢܐ.

vivendum, maneatque apud ecclesiam perseverans in orationibus et gratiarum actionibus.

XVI.

Episcopus ita benedicat oblatos sibi fructus:

«Gratiam agimus tibi, Deus, omni tempore et hac etiam die, in qua tibi offerimus primitias fructuum, quos nobis in escam dedisti, tuaque virtute et verbo perfecisti. Tu enim in exordio mundi constitutionis jussisti terram, ut gigneret fructus varios in jucunditatem et voluptatem hominum, cunctorumque animalium. Quocirca laudamus te, Domine, pro omnibus istis, quibus nobis benefecisti, cum exornasti nobis terram variis fructibus. Benedic et famulum hunc tuum N., acceptumque habe ejus studium et charitatem per Filium Unigenitum tuum Jesum Christum, per quem tibi gloria, honor et imperium cum Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.»

Olera autem non benedicantur, sed fructus arborum, flores, rosæ et lilia.

XVII.

Fideles, quidquid sumentes vel manducantes, laudent, gratiasque agant, neque cum offendiculo vel scandalo edant.

Nemo suffocatum vel idolothytum [col. 2] gustet.

XVIII.

Diebus paschæ, præsertim ultimis, (nempe) feria sexta et sabbato, diu noctuque fiant tot orationes, quot cantica. Concio vero sit prolixa, lectionesque variæ et crebræ. Vigiliæ et anticipationes nocturnæ bono ordine peragantur.

XIX.

Diaconos, qui transeunt inter mulieres, ne ibidem forte reperiantur pueri inordinati, adjuvent lectores. Idem præstent hypodiaconi. Ne sinant autem pueros dormire. Est enim illa nox, maxime autem, quæ subsequitur sabbatum, imago regni cœlorum.

ܗ̇ܢܘܢ ܕܟܪܝܗܝܢ ܘܟܐܒܝܢ. ܒܥܕܢܐ ܠܦܘܠܚܢܗ ܕܠܠܝܐ(1) ܢܐܬܘܢ܀

ܡܫܡܫܢܝܬܐ ܕܡܫܡܫܢ ܢܣܒܢ̈ ܕܝܢ ܡܩܒܠܝܢ ܒܩܘܪ̈ܒܬܐ(2) ܡܢ ܠܡܫܚܐ ܕܦܓܪܐ܀

ܡܫܡ̈ܫܢܝܬܐ ܕܝܢ ܢܣܒ̈ܢ. ܟܕ ܠܦܘܪܫܢܐ(3) ܘܒܝܕܥܬܐ. ܠܚ̈ܫܝܫܬܗܘܢ
ܢܐܙܠܢ. ܒܛܘܪܬܗܘܢ(4) ܠܬܪܝܢܘܬܐ ܠܐ ܢܠܚܦܢ܀

ܒܗܝܢܐ ܬܫܡ̈ܫܬܗܘܢ ܠܐ ܢܬܦܩܘܢ܀

ܢܫܐ ܕܝܢ ܚܠܫܐ ܠܚܕܘܗ̇ ܢܦܩܐ ܢܐܙܠܢ܀

ܐܪܡܠܬܐ ܕܥܕܬܐ ܠܡܦܩܐ ܒܫܒܬܐ ܢܩܘܡ. ܟܕ ܬܗܘܐ ܐܝܬ ܠܗܘܢ
ܡܐܟܘܠܬܐ܀

ܬܫܡܫܬܐ ܐܚܪܢܐ ܢܬܪ̈ܝܢ ܒܫܒܬܐ. ܘܒܟܪ ܘܢܐܪܓ ܕܠܗܘܢ ܗܘ̣
ܐܦܝܣܩܘܦܐ. ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ ܢܫܡܫܘܢ ܐܢܝܢ(5)܀

ܡܫܡܫܬܐ ܠܗܘܢ ܕܐܦܝܣܩܘܦܐ ܢܩܘܡ ܒܥܕܬܐ ܠܡܦܩܐ. ܟܕ ܡܬܪ̈ܝܢ
ܘܡܬܬܒܝܢ܀

ܗ̇ܝ ܒܥܕܬܐ ܐܦ ܗ̇ܢܘܢ ܕܟܪܝܗܝܢ ܢܬܐܣܝܢ܀

ܬܫܡܫܬܐ ܗܘ̇ܝܐ ܕܟܬܒ̈ܢ ܠܙܘܓܐ. ܟܕ ܠܐܡܗܬܗܝܢ(6) ܢܥܒܕ.
ܗܟܢܐ ܢܐܙܠ. ܗܕܐ ܗܟܢܐ ܦܫܝܛܐ܀

ܟܗ̄. ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܢܦܩܘܕ ܕܢܬܪܘܢ. ܕܠܐ ܐܢܫ ܢܠܒܫ ܡܕܡ ܒܥܕܬܐ
ܕܬܫܡܫܬܐ ܡܣܬܒܪܐ. ܘܟܠܗ ܦܬܘܪܐ ܕܥܕܬܐ ܢܟܠ ܬܘܪܣܝܐ ܒܥܕܬܐ. ܗܟܢܐ
ܡܢܗ ܕܡܫܟܢܐ ܗ̇ܢܘܢ ܕܟܪܝܗܝܢ ܢܬܝܢ. ܡܢ ܟܕ ܡܢܝܢܐ ܚܕ܀
ܐܢܫ ܡܕܡ ܕܬܬܡܪ ܘܢܦܠ ܡܢ ܐܘܟܪܣܛܝܐ ܡܕܡ ܐܚܪܢܐ ܢܐܟܘܠ
ܐܢܫ. ܢܦܠܐ ܘܠܐ ܡܬܚܫܒ ܠܗ ܥܘܢܗ܀

ܡܫܡ̈ܫܢܐ ܕܝܢ ܡܥܬܪܝܢ ܬܬܪܩܝܢ ܟܠܗܘܢ ܐܝܕܝܐ܀

ܐ ܐܢܫ ܡܫܡܫܢܐ ܡܛܠ ܒܘܪܗܢܐ ܦܐܫ ܢܗܒ ܠܗ ܡܫܡܫܢܐ
ܡܘܪܟܢܐ܀

(1) Sic in cod. B. In codice vero M habetur ܒܥܕܢܐ ܠܦܘܠܚܢܗ ܢܐܬܘܢ.
(2) In cod. B ܩܘܪܒܬܐ in forma singulari.
(3) In cod. B habetur ܟܕ ܠܦܘܪ̈ܫܢܗܘܢ.
(4) In cod. B habetur ܒܛܘܪܬܐ.
(5) In cod. B legitur erronee ܐܢܘܢ.
(6) Cod. M habet ܠܐܡܗ̈ܬܗܝܢ.

adsignari presbyterum vel diaconum ad communionem eucharisticam deferendam mulieri ægrotanti. Quod satis superque indicat interpolatum fuisse a coptis pristinum textum Testamenti.

Qui laborant et defatigantur, usque ad mediam noctem defatigentur.

Primo dimittantur catechumeni, suscipientes benedictionem ex fractione panis (i. e. eulogiam).

Fideles cum dimittuntur, ordine et cum discretione se conferant ad suas domos; neque prætermittant orationem in suis conviviis.

Sacerdotes ne interrumpant sua ministeria.

Mulieres discedant, quælibet sequens proprium virum.

Viduæ usque ad tempus matutinum maneant in templo, habentes ibidem cibum.

Virgines simul maneant in templo, et episcopus opem iis ferat curamque gerat earum, diaconique ipsis ministrent. Presbyteræ maneant apud episcopum usque ad tempus matutinum, orantes et requiescentes.

Pariter et recens baptizati.

Virgines (seu puellæ) nupturæ comitentur matres suas et pergant domum: id enim congruentius est.

XX.

Jubeat episcopus proclamari, ne quis quidpiam gustet, donec sacrificium expletum fuerit, et universum ecclesiæ corpus novam escam suscipiat.

Tunc ab initio vesperis baptizandi baptizentur post unam lectionem.

Si quis, antequam communionem eucharisticam suscipiat, aliquid manducaverit, fit reus, et nequaquam ipsi imputabitur (in meritum) jejunium, quod jejunavit.

Catechumenis, dum dimittuntur, imponatur manus.

Si quis fidelium morbi causa domi maneat, diaconus ipsi deferat sacrificium[1] (i. e. eucharisticam communionem).

---

[1] Interpres copto-arabs id munus attribuit indiscriminatim presbytero vel diacono. Ait enim «si vir vel mulier fideles nequeant præ morbo venire ad ecclesiam, deferat mysteria ad illos presbyter vel diaconus»: ubi insuper notandum est loco diaconissæ

ܐܢ ܐܢܫ ܡܫܢܝܐ ܐܝܬܘܗܝ، ܗܘ ܕܠܐ ܡܫܟܚ ܠܡܛܐܬܐ. ܡܫܢܝܐ ܢܘܟܠ ܠܗ܀

ܒܗ̇ ܒܙܒܢܬܐ ܐܢܬܬܐ ܐܢ܆(1) ܒܛܢܬܐ ܬܗܘܐ ܐܝܬܝܗ̇ ܒܟܘܪܗܢܐ. ܘܠܐ ܡܫܟܚܐ ܠܡܨܡ ܗܠܝܢ ܬܪܝܢ ܝܘܡܝ̈ܢ. ܬܛܥܘܡ ܗܘ ܝܘܡܐ(2) ܚܕ. ܒܪ ܓܡܠܐ ܗܘ̇ ܒܗܘ ܡܬܚܝܐ ܠܢܦܫܐ ܘܡܝ̈ܐ. ܘܐܢܗܘ̣ ܕܠܐ ܡܫܟܚܐ ܠܡܫܡܫܬܐ. ܡܣܝܒܪܢܘܬܐ ܬܘܟܠ ܠܗ̇܀

ܟܐ̄. ܡܛܠ ܗ̇ܢܘܢ ܕܪܕܝܦܝܢ. ܢܨܘܡܘܢ ܠܡܫܡܫܢܘܬܗ ܕܐܦܣܩܘܦܐ ܐܝܟܢܐ ܕܐܢ܆ ܬܫܟܚ(3) ܠܐܦܣܩܘܦܐ ܢܨܒܘܪ ܐܢܘܢ. ܗܟܢ ܓܝܪ ܒܛܝܒܘܬܐ ܗܘ ܕܪܕܝܦ. ܘܬܬܝܪܐܬ(4) ܒܪ ܡܫܝܚܐ ܐܝܬܘܗܝ، ܒܪ [col. 3] ܡܬܪܕܦ ܠܗ ܪܥܝ ܒܫܡܝܐ܀

ܟܒ̄. ܠܘܩܒܠ ܗܘ ܕܪܕܦ ܒܪܕܘܬܐ ܒܬܘܩܠܬܐ ܘܬܠܬܐ ܢܕܘܢ ܘܢܣܒܪܘܢ. ܐܚܝ̈ ܘܒܥܠܕܒܒ̈ܐ ܕܡܠܐܟܝ̈ܐ ܡܪܕܝܢ. ܐܢ ܢܦܘܩܘܢ ܬܘܒ ܐܘ ܬܠܬܐ. ܠܘܩܒܠ ܫܥ̈ܬܐ ܢܒܘܢ ܒܪ ܡܬܪܕܝܢ. ܒܗ̇ ܒܙܒܢܬܐ ܐܦ ܒܟܪܝܐ܀

ܟܓ̄. ܐܢ ܐܢܫ ܡܫܟܚܐ ܢܨܘܡ. ܗ̇ܢܘܢ ܕܕܚܠܝܢ(5) ܢܣܒ ܢܛܝܪܘܢ ܡܛܠ ܠܒܥܠܝܗܘܢ܀ ܐܢ ܐܢܫ ܕܐܝܬܘܗܝ، ܐܟܡܝܢܐ ܢܨܘܡ. ܘܠܐ ܐܝܬ ܠܗ ܕܢܟܠܬܐ ܐܟܠܐ ܕܢܬܡܠܐ. ܗ̇ܢܘܢ ܕܐܝܬ ܠܗܘܢ ܕܒܥܠܬܐ ܢܬܠܠܘܢ. ܐܝܟܢ ܒܥܕܬܐ ܐܝܬ ܠܗ̇ ܬܬܠ. ܘܐܢ ܠܝܬ ܠܗ ܡܣܟܢܘܬܐ. ܬܬܠ ܒܗ̇ ܒܙܒܢܬܐ ܒܥܕܬܐ. ܐܝܟܢ ܠܝܬ ܠܗ ܗܠܝܢ ܕܒܥܝܢ ܢܬܒܥܘܢ܀

ܐܝܟܢ ܢܬܒܥܘܢ ܐܢܫ ܕܐܝܬ ܠܗ ܡܣܟܢܐ. ܘܠܐ ܫܒܩ ܐܢܘܢ ܠܥܕܬܐ. ܒܥܕܢܐ ܠܢܟܠܐ ܢܬܦܢܘܢ. ܘܗܟܢ ܒܬܪ ܫܒܬܐ. ܠܐ ܬܬܒܥܐ ܐܢܘܢ ܠܗ̇ ܒܥܕܬܐ. ܐܠܐ ܠܡܣܟܢ̈ܐ ܫܘܐ ܢܦܫܗ ܢܬܚܫܒܘܢ܀

ܐܝܟܢ ܡܫܒܚ ܕܢܬܫܡܠ. ܢܬܦܢܘܢ ܕܗܕܐ ܡܫܡܫܢ̈ܐ ܒܪ ܡܫܒܚܐ ܡܪܒ܀

ܐܢ ܒܟܠ ܡܓܘܪܐ ܐܝܬ ܠܗ ܠܥܕܬܐ. ܐܝܬ ܕܝܢ ܕܦܬܐܫ ܬܗܘܐ ܘܠܚܒܝ

(1) Cod. S habet ܐܢ ܐܢܬܬܐ ܒܛܢܬܐ.
(2) In codicibus M B legitur ܬܛܥܘܡ ܚܕ.
(3) In codicibus M B habetur ܐܝܟܢܐ ܕܐܢ ܬܫܟܚ.
(4) Deest ܘ in cod. S.
(5) In cod. M ܕܕܚܠܝܢ.

(1) Idem interpres copto-arabs sic hunc locum corrupit: «Si mulier prægnans ægrotet nequeatque jejunium observare quadragesimale, jejunet feria quarta et feria sexta.»

Si vero presbyter est, qui nequit (ad ecclesiam) venire, presbyter illi (communionem) deferat.

Si mulier prægnans ægrotet, et nequeat observare jejunium illis duobus diebus, jejunet altera die, sumatque in prima panem et[1] aquam, et si nequit accedere (ad ecclesiam), diaconissa ad ipsam deferat communionem.

XXI.

De iis, qui ægrotant, faciant certiorem episcopum, ut episcopus pro facultate eos visitet; ingenti enim solatio afficitur ægrotus, et præsertim, si fidelis est, cum [col. 3] summus sacerdos ejus meminerit.

XXII.

Ei, qui in ecclesia psallit, virgines et pueri respondeant psallentes. Si et domi privatim psallant duo vel tres, similiter sibi invicem respondeant psallentes: similiter et viri.

XXIII.

Si egenus aliquis moritur, illi, qui de omnibus curam agunt, curent vestire ipsum (i. e. ipsius cadaver).

Si moritur peregrinus, qui non possidet locum, in quo sepeliatur, cedant illi locum ii, qui possident, et si ecclesia locum possidet, ipsi det.

Item si prædictus non habeat indumentum (funebre), det ipsi ecclesia indumentum: si neque habeat, quæ requiruntur ad sepulturam, sepeliatur (suppeditante ecclesia, quæ necessaria sunt).

Si contingat, ut moriatur, qui non reliquit ecclesiæ bona sua, custodiantur bona illa ad tempus, et post unum annum distribuantur pauperibus in suffragium ipsius animæ, quin ecclesia illa sibi adsciscat.

Si quis postulet, ut post mortem unguento condiatur (ipsius cadaver), curent id diaconi, præsente presbytero.

Si ecclesia habeat cœmeterium, ibidemque commoretur, qui custodit

ܠܗ. ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܡܢ ܕܒܝܬܐ ܐܡܝܢܐ ܕܠܐ ܡܕܒܪ ܐܝܟܢ
ܥܠ ܗܢܘܢ ܕܦܪܢܣ ܠܗܘܢ ܀

ܟܗ̄. ܒܦܠܚܢ ܒܥܕܬܐ ܐܝܟ ܕܫܦܝܪܐ ܒܥܒܝܕܘܬܐ. ܕܒܗ ܦܩܝܕܝܢ
ܘܡܥܝܪܝܢ ܐܒܕܢܝܗܘܢ. ܡܛܠܐ ܕܝܠܗܘܢ. ܘܗܕܐ ܚܠܦ ܠܚܕܪܐ ܗܘ ܕܢܦܩܐ
ܢܦܘܠ ܀

ܚܠܦ ܢܦܫܗܘܢ ܕܝܠܗܘܢ ܒܥܘܬܐ ܕܬܠܬ ܒܡ ܐܚܠܐ ܘܡܕܠܐ.
ܐܘ ܒܥܕܬܐ ܐܘ ܒܒܝܬܐ ܡܛܠ ܕܠܐ ܡܬܚܫܒܝܢ ܠܡܐܙܠ. ܗܕܐ ܓܝܪ
ܥܘܬܐ. ܕܡܚܒ ܕܚܫܘܟܐ ܒܝܠܕܐ ܐܬܚܙܝ ܀

ܒܥܘܬܐ ܕܝܢ ܕܫܬ ܒܗ ܒܕܡܘܬܐ ܒܡ ܒܣܝܪܘܬܐ ܬܗܘܐ ܨܠܘܬܐ.
ܗܝܕܝܢ ܓܝܪ ܐܝܬܡܝܐ ܒܢܨܘܒܐ ܐܬܩܠܝ. ܬܗܘܐ ܫܒܝܠ ܗܘ ܒܪܬ ܩܠܐ
ܕܡܬܕܡܝܐ ܠܢܒܝܐ ܘܠܥܕܬܐ. ܕܡܬܐܡܠܐ ܀

ܒܥܘܬܐ ܕܝܢ ܬܫܥ ܕܬܥܒ. ܬܫܥ ܬܬܟܫܦܘܢ ܨܠܘܬܐ ܐܝܟ ܕܒܡ
ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܡܬܕܡܝܐ ܠܢܫܡܬܐ ܕܨܕܝܩܐ ܕܡܫܒܚܝܢ ܠܐܠܗܐ ܠܐ ܕܓܠܐ.
ܐܚܕܡ ܕܐܬܒܪܝ ܠܡܫܝܚܗ, ܦܣܝܪ ܡܠܘܗܝ ܘܣܓܕܘܗܝ ܕܢܗܪ ܐܝܟ. ܒܗܝ
ܓܝܪ ܫܥܬܐ ܐܬܦܬܚܘ ܣܝܢܐ ܠܡܗܝܡܢܐ. ܘܕܡܐ ܘܡܝܐ ܡܢ ܕܦܢܗ
ܕܡܪܢ ܐܬܐܫܕܘ ܀

ܒܪܡܫܐ ܕܝܢ ܐܡܪܬ, ܕܡܦܩܢܐ ܐܝܬܘܗܝ, ܗܘܐ ܕܢܘܗܪܐ ܐܡܪܢܐ. ܒܗ
ܡܫܚܐ ܠܢܘܗܪܐ ܕܡܫܬܘܬܐ. ܒܥܐ ܠܝ ܠܡܫܒܚܘ ܀

ܒܨܠܘܬܗ ܕܝܢ ܕܠܠܝܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܘܡܫܠܡܢܘܬܐ ܢܦܩܘܢ. ܡܛܠ
ܩܝܡܬܐ ܀

ܒܨܦܪܐ ܡܫܡܫܢܘܬܐ ܒܡ ܡܫܒܚܬܐ. ܡܛܠ ܕܒܡ ܒܬܪ ܕܩܡ ܗܘ.
ܥܒܕ ܠܐܠܗܐ ܒܗ ܡܫܒܚܝܢ ܗܘܘ ܀ ܐܝܟܢܐ ܐܝܟ ܒܬܪ ܫܘܡܠܝܐ ܕܙܘܥܐ
ܐܝܬ ܠܗ. ܐܘ ܐܢܬܬܐ(1) ܡܫܡܫܢܝܬܐ: ܒܪܬܐ. ܗܝ ܕܐܝܬܝܗ, ܡܫܡܫܢܝܬܐ.
ܢܐܙܠ ܘܬܠܐ ܗܠܝܢ ܒܬܪܐ ܡܢ ܐܢܫܝ ܀

ܗܠܝܢ ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܢܦܩܐ ܠܐ ܢܦܪܘܢ. ܡܬܚܫܒܝܢ ܓܝܪ ܢܬܩܢܐ
[fol. 348 rec. col. 1] ܕܥܝܢܐ. ܢܗܝܪܐ. ܫܠܝܐ. ܣܓܝܐ. ܒܟܠܐ. ܒܪܘܝܐ.
ܕܚܠܬܐ. ܚܝܠܐ. ܬܠܡܝܕܐ. ܕܝܢ ܬܠܡܝܕܐ. ܥܒܘܕܐ. ܡܕܒܪܢܘܬܐ. ܚܠܦ
ܦܠܘܓܘܬܐ. ܬܫܡܫܬܐ. ܢܣܒܐ. ܢܗܝܪܘܬܐ. ܡܚܝܢܐ. ܢܘܪܐ. ܠܟܠ. ܘܟܠܗ

1 Ex versione copto-arab. videretur legendum ܐܘ. ܐܢܬܬܐ ܠܐ ܡܫܡܫܢܝܬܐ.

illud, episcopus provideat ipsi ex oblationibus ecclesiæ, ne sit oneri iis, qui ad cœmeterium accedunt.

XXIV.

Semper populus curet summo diluculo orare statim, ac ipsi de lecto surrexerint, manusque laverint; inde singuli pergant ad opus, quod sibi libuerit.

Curent omnes hora tertia orare cum mœrore et labore, vel in ecclesia vel, si non possunt ad ecclesiam se conferre, domi. Illa est enim hora, in qua fuit actus in crucem Unigenitus.

Pariter fiat oratio cum mœstitia hora sexta, tunc enim fuit divisus dies per tenebras. Sit igitur vox, quæ imitetur prophetas, creaturamque lugentem.

Hora quoque nona protrahatur oratio una cum collaudatione, veluti ad imitationem animarum eorum, qui laudant Deum haud mendacem, qui recordatus est suorum sanctorum, et misit Verbum suum et Sapientiam suam ad illuminandos ipsos. Ea enim hora vita patuit fidelibus, fluxeruntque sanguis et aqua ex latere Domini nostri.

Vespere, cum est initium diei subsequentis, perhibetque imaginem resurrectionis (finalis), fecit, ut nos (ipsum) laudaremus.

Media nocte surgant collaudantes et extollentes Deum propter (Domini) resurrectionem.

Ad auroram laudent cum psalmodia, quoniam postquam resurrexit (Christus), Patrem laudavit, psallentibus illis (i. e. apostolis).

Necesse est, ut vir fidelis, habens sociam conjugii uxorem (non) [1] fidelem, eat persolvatque orationes memoratis horis.

Qui sunt casti, ne omittant (ullam ex dictis horis orationis): laudant enim (Deum) ornamenta [fol. 348 r. col. 1] cœli, luminaria, sol, luna, stellæ,

---

(1) Vid. notam ad hunc locum in textu syriaco.

ܒܢܝܢܐ ܕܥܠܡܐ ܡܠܝܐ. ܘܡܥܢܝܢ ܐܦ ܟܠܗܘܢ ܡܕܝܢܬܐ. ܐܦ ܟܠܗܘܢ
ܢܦܫܬܐ ܕܙܕܝܩܐ. ܫܪܝܘ ܗܟܝܠ ܕܢܬܬܠܝܢ. ܡܬܬܢܝܚܝܢ ܐܚܝܕܐ ܒܫܘܒܚܐ
ܕܐܠܗܐ ܀

ܛܘܒ̄. ܒܪ ܗܠܝܢ ܡܫܬܠܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܡܫܡܫܢܐ ܠܫܪܪܐ ܐܠܗܐ ܐܪܬܘ.
ܒܪ ܠܡܬܬܪܬܝܢܐ ܡܬܩܪܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܡܪܕܘܬܗܘܢ. ܒܪ ܠܟܠܢܫ ܡܫܝܚܝܢ
ܐܢܬܘܢ: ܠܐ ܐܚܝܕܝܢ ܐܢܬܘܢ. ܐܠܐ ܬܗܘܘܢ ܒܝ. ܘܐܝܟܢܐ ܐܗܘܐ
ܒܝܬܟܘܢ ܀

ܒܟܠܙܒܢ ܕܝܢ ܢܐܡܪ ܡܫܡܫܢܐ ܕܡܪܝܐ ܕܢܐܟܘܠ ܢܬܬܘܦ ܒܐܘܪܫܠܡ.
ܐܝܟܢܐ ܕܠܐ ܡܬܒܝܢܢܐ ܢܗܘܐ ܐܝܬܘܗܝ ܀

ܒܪ ܗܠܝܢ ܟܠܗܝܢ ܐܢܬܘܢ ܘܢܛܪܝܢ ܐܢܬܘܢ ܬܬܦܨܘܢ. ܘܗܪܘܫ
ܒܝܫܬܐ ܠܐ ܬܬܚܫܫܘܢ ܀

ܟܠܗܝܢ ܗܟܝܠ ܕܢܬܒܥܘܢ ܗܢܐ ܗܘ ܐܠܬܬܟܘܢ. ܘܗܠܝܢ[1]
ܕܡܢܝܢܝܢ ܟܠܠܐ ܒܟܘܢ ܘܟܠܝܠܐ ܘܦܪܕܝܬܟܘܢ ܡܢ ܕܐܝܫ ܢܛܪܝܢ
ܐܢܬܘܢ ܀

ܛܘܒ̄. ܘܡܬܦܪܐܬ ܐܢܬ ܢܦܫܝ ܘܐܬܪܐ ܘܫܠܝܐ. ܘܗܢܐ ܢܛܪܝܢ ܐܢܬܘܢ
ܟܠܗܝܢ ܐܝܠܝܢ ܕܟܠܠܬ ܠܟܘܢ ܒܪ ܒܟܘܢ ܐܢܬܘ. ܐܝܟ ܕܐܦ ܒܕܝܬܩܐ
ܗܕܐ. ܠܗܢ ܕܒܪ ܡܫܠܡܝܢ ܐܢܬܘܢ ܠܒܚܝܪܐ. ܒܟܠܙܒܢ ܝܩܝܪܐ ܕܐܟܙ
ܢܬܡܠܐ. ܒܪ ܗܘܐ ܒܗܝܡܢܘܬܐ. ܐܝܟܢܐ ܕܒܐܝܠܝܢ ܕܫܡܥܝܢ ܦܐܪܐ
ܛܒܐ ܢܗܘܘܢ ܀

ܢܛܪܝܢ ܐܢܬܘܢ[2] ܕܝܢ ܕܟܠܠܬ ܒܟܘܢ ܕܠܐ ܡܥܡܣ ܐܝܠܢܐ ܛܒܐ
ܦܐܪܐ ܒܢܥܐ ܠܒܓܒܪ. ܟܠܗܘܢ ܗܟܝܠ ܕܦܪܬܟܘܢ ܒܟܠܝܐ ܘܒܟܣܝܐ ܒܒܪܘ.
ܘܐܠܗܐ ܕܝܢܐ ܢܗܘܐ ܒܟܘܢ ܀

ܒ̄ܪ. ܘܒܪ ܕܠܝܢ ܗܘܝܬܝܢ ܠܗ ܒܪ ܐܒܪܗܡ. ܥܡܟܘܢ ܠܝ ܢܦܩ ܥܡܟܐ
ܕܢܗܘܪܐ. ܗܘ ܕܡܫܒܚ ܠܝ ܡܠܟܘܬܐ ܕܡܫܝܚܝܟ ܐܡܝܢܐ ܕܢܗܘܐ ܐܡܟܘܬܟ.
ܣܝ ܘܟܠܗܘܢ ܫܪܘ ܕܫܒܚܝܢ ܠܝ ܀ ܘܒܪ ܟܠܠ ܠܝ ܘܐܠܦ ܘܦܩܕ ܠܝ ܘܣܦܝ.
ܥܒ̈ܕܐ ܘܣܝܠܐ ܡܫܒ̈ܚܐ ܐܫܬܠܡ ܡܢܝ ܒܪ ܡܢܗ ܠܝ ܥܒܕܐ ܀

---

(1) Cod. M habet ܘܗܟܝܠ.

(2) In cod. B deest ܐܢܬܘܢ.

fulgores, tonitrua, nubes, angeli, archangeli, gloriæ, dominationes, tota militia, abyssi, maria, flumina, fontes, ignis, ros et omnis natura imbrem gignens, laudant quoque omnes sancti et omnes animæ justorum.

Qui itaque orant, connumerantur in recordatione Dei.

XXV.

Hæc cum adimplebitis fideles, alteri alteros docete et admonete, efficientes, ut catechumeni progrediantur, atque diligentes omnes: (quod si perfeceritis) nunquam peribitis, sed vos eritis in me et ego in vobis.

Sit semper fidelis sollicitus, ut antequam cibum sumat, fiat particeps eucharistiæ, ut evadat nesciens lædi.

Hæc docentes et adimplentes liberabimini: neque improba hæresis prævalebit super vos.

En modo, quæcunque voluistis, docui vos, uti et noscitis, quæ jam vobis sum locutus, vosque docui et præcepi, antequam paterer.

XXVI.

Vos autem potissimum, Joannes, Andreas et Petre, scitis modo omnia, quæ vobis dixi, cum vobiscumque essem, quemadmodum et quæ per Testamentum hoc, quod cum tradetis gentibus, omni tempore adimplebitur Patris mei voluntas permanens, adhibita omni cura; et qui audiunt, fructus bonos ferent.

Scitis, quod vobis dixi, non posse scilicet arborem bonum facere malos fructus: facite igitur omnia, quæ vobis tum palam tum in abscondito mandavi, et Deus pacis erit vobiscum.

XXVII.

Procidentes adoravimus eum dicentes: Gloria tibi, Jesu, nomen lucidum, qui nobis tribuisti scientiam mandatorum tuorum, ut nos similes tibi simus, omnesque qui obtemperant tibi.

ܘܬܘܒ ܕܝܢ ܠܕܘܟܬܐ ܗܕܐ. ܢܩܘܡ ܘܢܦܪܘܩ ܘܢܗܘܐ. ܘܢܫܪܘܢ ܒܝܫ̈ܬܐ
ܡܢ ܐܘܪܫܠܡ ܒܝܬ ܕܩܘܣܛܐ(1) ܘܥܘܠܐ. ܘܡܚܙܝܢܢܘܗ. ܘܐܘܡܠܐܘܗ ܗ̇ܘܝܘ
ܕܢܦܘܩ ܠܡܫܪܝܘ ܠܥܠܡܝܢ ܬܘܬܒܘܬܐ ܐܡܝܢ

ܫܠܡ ܟܬܒܐ ܕܬ̈ܪܝܢ ܕܬܠܡܝܕܘܬܐ ܡܟܬܒ ܡܢ ܠܫܢܐ ܝܘܢܝܐ ܠܣܘܪܝܝܐ. ܠܝܥܩܘܒ
ܡܣܟܢܐ ܒܫܢܬ ܬܫܥ̈ ܕܝܘܢ̈ܝܐ܀

(1) Cod. B scribit ܕܩܘܣܛܐܘܣ.

Postquam locutus est docens nos, hæc mandans, ostenditque sanationes, virtutesque multas, sublatus est a nobis relinquens nobis pacem.

Hoc Testamentum scriptis consignarunt Joannes, Petrus et Matthæus, Hierosolymisque miserunt exemplaria per Dosithæum, Sillam, Magnum et Aquilam, quos elegerunt mittendos ad omnes mansiones. Amen.

Explicit liber secundus Clementis. Conversus fuit ex lingua græca in syriacam a Jacobo paupere anno 998 *græcorum.*

DISSERTATIONES.

DISSERTATIO I.

De descriptione ecclesiæ.

Auctor *Testamenti*, acturus in primo libro de sacris ministris et de cultu publico, exorditur a describenda ecclesia. Descriptio, quam exhibet, differt aliquantulum ab ea, quæ legitur in Didascalia (c. 12) et in Constit. apost. (l. II. c. 57), complectiturque omnes partes et ædes «*domui principali*» adnexas vel adjacentes.

Ecclesiam non semel vocat «domum» vel etiam «domum dominicam» ܒܝܬܐ ܡܪܝܐ (κυριακή). Non liquet tamen, utrum sit sermo de domo sacra noviter a fundamentis exstruenda, an vero de ædificio profano in ecclesiam convertendo.

Præscribitur itaque imprimis ut ecclesia habeat tres ingressus[1], nec indicatur tamen, utrum designentur hisce verbis ingressus exteriores ædificii, an illi, per quos fit aditus in ecclesiam proprie dictam seu templum.

De forma ædis sacræ, quam Constitutiones (l. cit.) volunt oblongam, nihil in nostro documento determinatur. Idem Testamentum describens locum quem occupant episcopus et presbyteri, quem tamen locum minime *sanctuarium* vocat, statuit, ut in parte, quæ orientem respicit, in medio

---

[1] In versione copto-arab. Testamenti notatur insuper unam portam respicere *meridiem*, aliam *occidentem*, tertiam *maritimam regionem*.

collocetur *cathedra* (ܡܘܬܒܐ) episcopi, et a dexteris et sinistris cathedræ sint *subsellia*[1] presbyterorum, subdens in regione dextera sedere eminentiores inter presbyteros et «qui laborant in verbo», in regione autem sinistra ceteros.

Præterea subjungit, locum, ubi cathedra episcopi et subsellia presbyterorum sunt, debere solo reliquæ partis sacræ ædis tribus[2] gradibus elevari «*quoniam et altare ibi collocandum est*».

Insuper præscribit, ut ad faciem altaris appensum pendeat velamen[3] ex purissima bysso.

Hæc de loco destinato cætui scerdotali: quoad locum laicorum præscribit, ut domus habeat duas porticus, alteram e regione dextera pro viris, alteram e regione sinistra pro mulieribus. Qua præscriptione designatur etiam ordo, quo uterque sexus in ecclesia stare debeat.

Ad hæc admonet auctor noster oportere, ut omnes loci ecclesiæ sint illuminati (lucernis) tum ad significandum typum, tum propter lectiones.[4]

Notandum est etiam discrimen inter Constitutiones et Testamentum quoad locum, ex quo ad populum sunt legendæ sacræ scripturæ. Cum enim Constitutiones ap. (l. c.) in media ecclesia collocent ambonem

---

(1) Vid. Didascal. et Const. ap. locis cit. — Origenes in Judic. III, 2 collaudans subsellia presbyterorum in sanctuario dicit «in circuitu altaris veluti specula quadam intuentibus presbyteri collocati».

(2) In Syrorum aliorumque orientalium ecclesiis præter sanctuarium reservatur quoque clero locus, qui inter sanctuarium et templum est, vocaturque a Syris ܣܛܪ̈ܘܡܐ (κατάστρωμα), ibique divinum officium decantatur. Ex templo in κατάστρωμα uno gradu ascenditur, et ab isto loco in sanctuarium duobus gradibus.

(3) Apud Syros, Armenos aliosque orientales duplex pendet velum in sanctuario, aliud ad portam ipsius sanctuarii, aliud ad columnas, quæ sustinent fornicem, sub qua altare collocatur.

(4) S. Hieronymus adv. Vigilant. n. 8 ait: «Per totas ecclesias orientis, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum».

destinatum sacris lectionibus recitandis, auctor noster statuit locum lectionum esse debere paulisper extra altare. (1)

Præter descriptas partes quæ constituunt ecclesiam proprie dictam, adnumerat Testamentum ædes ecclesiæ adnexas, de quibus nulla mentio occurrit neque in Didascalia neque in Constitutionibus.

Sequentes ædes adnexæ recensentur:

1. Diaconicon situm in regione dextera, quod circumdat atrium, habens ambientem porticum.

2. Baptisterium collocatum intra prædictum atrium et habens viginti et unum cubitus longitudinis et duodecim latitudinis. Præscribitur, ut baptisterium sit velamine coopertum.

3. Aedes catechumenorum, quæ debet ita immediate ecclesiæ adnexa esse, ut catechumeni in ea stantes possint lectiones sacras psalmodiamque audire.

4. Locus prope baptisterium, in quo sacerdos cum proto-diacono et lectore nomina oblationes offerentium scribant.

5. Gazophylacium, quod apud diaconicon situm esse debet, destinatum tum supellectili sacræ custodiendæ tum donis fidelium excipiendis. (2)

---

(1) Etiam hodie penes Syros extra sanctuarium in loco dicto κατάστρωμα leguntur ad populum lectiones sacræ, a latere sinistro lectiones veteris Testamenti, a latere dextero lectio apostolica; in media autem porta sanctuarii legitur Evangelium. In quibusdam vetustissimis ecclesiis, quæ exstant in monte Masio (ܛܘܪ ܥܒܕܝܢ) v. g. in eccl. pagi ܚܐܚ conspicitur in media ecclesia *ambo* (βῆμα), quem sustinent quatuor columnæ, et ad quem per gradus ascenditur e regione orientali. In festis solemnioribus solent ex ambone lectiones sacras recitare.

(2) Cf. S. Justinum (Apol. I, 67) — Tertullianus (in Apol. XXXIX) ita commemorat gazophylacium, in quo dona fidelium deponebantur: «Neque enim pretio ulla res Dei constat. Etiamsi quod *arcæ* genus, non dehonoraria summa quasi redemptæ religionis congregatur: modicam unusquisque stypem, menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt».

Ultimo loco adnumerantur conclavia quæ existere debent in atrio ecclesiæ pro habitatione tum episcopi, tum presbyterorum atque diaconorum: mentio quoque fit conclavis proprii viduarum canonicarum.

Animadvertendum porro est, a Testamento nullum commemorari ritum ad benedicendam[1] ecclesiam, de cujus constitutione partibusque, quibus ipsa constat, distincte agit.

DISSERTATIO II.

De hierarchia ecclesiastica.

1. *De Episcopo instituendo.*

Testamentum parcius quam *Didascalia* (c. 4) de requisitis in constituendo episcopo agit. Statuit, ut ille eligatur ab universo populo, et adnumerat dotes, quibus oportet ut sit ornatus.[2] Præ ceteris duo notatu digna ibidem occurrunt. Primum est, quod ætas viri assumendi ad episcopatum in nostro documento non determinatur, uti eam determinant propter abusus, ut videtur, supervenientes *Didascalia* (c. 4), *Constitutiones apostolicæ*, aliaque posteriora monumenta, sed simpliciter monetur, ut sit mediæ ætatis, non juvenis. Alterum memoratu dignum est, quod ibidem diserte declaratur in electione episcopi præferendum esse cælibem, secus assumendum viduum unius uxoris. Qua in re liber

---

(1) Notandum ante Pseudo-Dionysium Areopag. (Eccl. Hier. IV, 12) S. Ephræmum in suo hymno de oleo (cod. vat. pag. 49 col. 2) commemorasse altaris consecrationem per unctionem cum s. chrismate. Sic enim ibidem dicit:

ܡܫܚܐ ܚܘܛܪܐ ܗܘ ܠܣܝܒܘܬܐ ܘܙܝܢܐ ܬܘܒ ܠܛܠܝܘܬܐ. ܗܘ
ܡܣܝܒܪ ܠܟܘܪܗܢܘܬܐ. ܘܗܘܝܘ ܫܘܪܗ ܕܚܠܝܡܘܬܐ. ܚܕ ܗܘ ܘܣܓܝ
ܒܥܘܕܪܢܘܗܝ. ܝܗܒ ܠܡܕܒܚܐ ܡܫܝܚܘܬܐ ܕܢܛܥܢܘܢ ܩܘܪܒܢܐ:

«Oleum est baculus senectutis et arma juventutis, ægritudinem sustentat, estque veluti murus valetudinis, unum est sed multiplex in beneficiis. *Tribuit altaribus unctionem*, ut portent sacrificium nostrum».

(2) Cf. 1 Tim. III, 2, 13 et Tit. I, 5—9.

primus *Canonum ecclesiasticorum apostolorum* cum nostro documento convenit, cum statuit: Καλὸν *μὲν εἶναι ἀγύναιον, εἰ δὲ μὴ ἀπὸ μιᾶς γυναικός* «bonum esse ut (assumendus in episcopatum) sit cælebs, aut ad minus qui *fuit* vir unius uxoris.» Quam interpretationem confirmat versio eorundem Canonum syriaca, in qua legitur: ܫܦܝܪܐ ܗܘ ܐܢܫ ܕܐܬܩܘܡܘܗܝ. ܕܠܐ ܐܢܬܬܐ. ܘܐܢ ܕܝܢ ܠܐ: ܕܗܘܐ ܕܚܕܐ ܐܢܬܬܐ. Prætermittendum ad hunc locum non est versionem syriacam *Pshittam*, si non ex vi vocis, certe ex disciplina vigente tempore, quo prædicta versio confecta est, sic Pauli I Tim. III, 2 et Tit. I, 6, vertisse: ܘܗܘܐ ܒܥܠܐ ܕܚܕܐ ܐܢܬܬܐ (qui *fuit* vir unius uxoris).

Episcopi electi consecrationem sancit auctor Testamenti esse celebrandam *die dominica*, præsentibus et consentientibus una cum presbyteris etiam vicinis episcopis.

Ritus consecrationis, quem describit, duplicem impositionem manus habet, quarum prima ea est, qua omnes præsentes episcopi manus præcedenter lavatas simul imponunt super caput consecrandi, proclamantes: *Manus nostras imponimus super Dei famulum* etc.; secunda vero, quæ dicitur (ἐπίκλησις) *invocatio* (Spiritus sancti), fit ab uno tantum episcopo ad hoc a reliquis episcopis jusso seu deputato, qui dum ambas manus super caput consecrandi imponit, recitat invocationem seu orationem, quæ incipit: *Deus qui omnia per virtutem fecisti* etc. Qua invocatione absoluta, populus respondet «*Amen*» et ter conclamat: «*dignus est*». Hinc omnes novum episcopum salutant et tres per dies in honorem ejusdem festum celebrant.

Plura in descripto ritu memoranda occurrunt:

1. Quamvis secunda manus impositio ab uno tantum episcopo fiat, prima tamen impositio a cunctis præsentibus episcopis peragitur. Nihilominus secunda impositio, quæ cum prima conjungitur, est ordinatoria seu consecratoria; prima autem illa censenda est tanquam cerimonia ad proclamandum seu designandum illum, qui in episcopum constituitur.

Simili plane modo in oblatione eucharistiæ, uti suo loco notatur, præscribitur ut ante inchoandam liturgiam episcopus cum presbyteris comministrantibus manum imponant oblatis in altari collocatis.

2. Sciendum est formulas ad utramque impositionem recitandas hodie etiam usu vigere tum in ecclesia alexandrina Coptorum (1), tum in antiochena Syrorum (2).

3. Præ ceteris notandum est in documento nostro præscribi, ut omnes episcopi vicini, scilicet provinciæ, novi episcopi institutioni interveniant. Idem confirmatur ex epistola 68 s. Cypriani ad clerum et plebem in Hispania (3) (Migne Pat. Lat. T. III). Posteriori deinceps ætate determinatum fuit, ut numerus episcoporum novi episcopi constitutioni adsistentium septem esset (4), et tandem sancitum fuit, ut duo saltem episcopi præter consecratorem adessent (Const. ap. l. VIII c. 4).

4. In memorata descriptione consecrationis episcopi nullum exstat vestigium imponendi codicis Evangeliorum super caput consecrandi, qui ritus jam sæculo quarto universaliter obtinebat (Const. ap. loco citato).

Hæc de ritu ordinationis episcopi: quoad ministerium ab ipso exercendum seu officia obeunda hæc præcipue ex Testamento notanda sunt.

Episcopus, qui dicitur locum Dei tenere, præest suæ universæ cui constituitur ecclesiæ, nihilque, eo inconsulto, nec a presbyteris, nec a diaconis, nec a ceteris fieri debet. In sanctuario in medio presbyterorum sedet. Ipsius

---

(1) Vid. Renaudot coll. lit. or. dissert. de Patr. Alexandr. n. 81 sqq. — Cf. Denzinger rit. or. T. II p. 56.

(2) Renaudot, Perpétuité de la foi l. 5 c. 10 col. 963.

(3) Vide citationem supra in prolegomenis.

(4) Synod. Arelat. (an. 314) can. statuit 20: «de his qui usurpant sibi, quod soli debeant episcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi præsumat, nisi assumptis secum aliis septem episcopis. Si tamen non potuerit septem; infra *tres* non audeat ordinare».

est omnes clericos ordinare, viduasque benedicere. Episcopus nisi legitime impediatur, præesse debet conventui sacro ad auroram congregando, et in eo recitare orationes præscriptas, lectionesque ex sacra Scriptura concione explanare, solisque fidelibus arcana revelare, deinceps eucharisticam oblationem, adsistentibus et comministrantibus presbyteris, offerre, et oleum infirmorum consecrare. Episcopi est etiam catechumenorum admissioni præesse, eorundemque instructioni consulere, ex Prophetis primo, deinde ex Apostolis, tandem ex Evangelio. Præsidet quoque episcopus solemni baptismi collationi nocte paschæ, olea consecrat et tandem baptizatis manus imponit consignatque sacro oleo.

Porro duo inculcantur præcipue episcopo, quorum unum est vacare assidue orationi, præsertim statutis horis nocturnis et diurnis, de quibus in dissertatione de oratione sermo erit; alterum observare jejunium. Quoad hoc alterum præscribitur, ut episcopus statim ac fuerit consecratus jejunet tres per hebdomadas, ita ut ad vesperas nonnisi panem sumat, et diebus dominicis cum pane ei permittatur uti oleo, melle, sale et fructibus. Reliquum per annum, post prædictas tres hebdomadas, injungitur ei, ut singulis hebdomadis tribus diebus (1) jejunet modo nuper indicato, additurque ipsi ægrotanti concedi vesci piscibus. Penitus tamen eidem prohibetur totius vitæ decursu tum usus vini, excepto calice Missæ, tum usus carnium (2).

---

(1) Etsi in Testamento non indicatur, quales fuerint tres isti dies in hebdomadis, quibus episcopus jejunium observare debebat, dicendum est illos fuisse ferias II, III et V, quibus perfectiores jejunare solebant, uti eruitur ex quodam vetusto canone apud Coptas, quod etiam Const. ap. (l. VIII c. 23) innuunt.

(2) Videtur propter illos hæreticos, qui carnes atque vinum condemnabant, fuisse derogatum prædictæ episcopis præscriptæ abstinentiæ a vino carnibusque (Vid. Const. ap. lib. VIII., c. 44, et can. 53 inter Canones dictos apostolorum). Scriptor Jacobita nomine Yahyā, Gerîri filius Tagritensis (يحيى بن جرير التكريتيّ), qui sæc. X florebat, in suo opere arabico, cui titulus *Directorium* (كتاب المُرشِد), cap. 44 refert, ad refellendam hæreticorum memoratam condemnationem carnium, monachos S. Macarii in Ægypto solitos fuisse de immemorabili tempore die paschæ carnes degustare.

2. *De presbyteris.*

Tractatum de institutione episcopi sequitur in Testamento tractatus de institutione presbyterorum. Præscribit igitur, ut presbyter quoque suffragio populi eligatur, requiritque, ut sit doctus, humilis, mansuetus, non cupidus argenti, probatus in operibus charitatis erga miseros, atque per immaculatam et puram vitam.

Quamvis autem hic disertis verbis non declaratur oportere, ut assumendus in presbyterum sit cælebs vel ad minus viduus unius uxoris, id procul dubio supponitur juxta puriorem disciplinam, quae tunc temporis etiam in Oriente vigebat (Cf. Epiph. hær. 59. n. 4. Hieron. adv. Vigilantium n. 2. Recole quæ professor Bickell egregie de hac re disseruit in Zeitschrift für kathol. Theolog. 1878 p. 26 et seqq.; 1879 pag. 792 et seqq.). Accedit quod si diaconus debet ex Testamenti præscriptione esse cælebs aut saltem viduus unius uxoris, id a fortiori de presbytero statui debet. Id probatur etiam ex imposita presbytero abstinentia ad vitam a vino et a carnibus. Hæc enim duo juxta antiquam disciplinam inter se arcte conjunguntur, scilicet abstinentia a carne et vino et continentia.

Ritus ordinationis presbyteri consistit in oratione, cujus initium «*Deus Pater Domini nostri Jesu Christi*» quam episcopus manum imponens capiti ordinandi recitat. Presbyteri autem, dum episcopus manum imponit, debent ordinandum attingere et tenere. Absoluta memorata forma ordinatoria, conclamat populus: «*Amen*», omnesque tum clerus, tum laici, ordinatum osculo sancto salutant.

Quæ sequuntur munera in nostro documento adsignantur presbyteris:

Nihilominus hodierni episcopi syri tam Jacobitæ quam Nestoriani penitus abstinent per vitam a carnibus: qui usus ad ipsos ex Testamento transiisse videtur, cum in receptis apud præfatas sectas nomocanonibus nulla de ejusmodi abstinentia præscriptio reperiatur.

1. Episcopo in oblatione liturgica, in oratione publica et in collatione baptismi solemnis nocte paschæ adsistere et comministrare; et quandoque ex delegatione ipsius episcopi eadem ministeria obire. Itemque absentis episcopi vicem gerere in proferenda homilia vel mystagogia.

2. Deferre ad presbyterum decumbentem eucharisticam communionem.

3. Evangelium in divino officio legere, itemque cantica alternatim cum diaconis concinere.

4. Extra publicum conventum instruere fideles eosdemque bono etiam exemplo hortari ad ferendos fructus christiana professione dignos; invigilare gregi, ne errores in eum intromittantur.

5. Adire fideles domi, præcipue ægrotos, concomitante diacono, atque curare, ut egenis ab ecclesia subsidia præbeantur.

Quoad virtutes a presbyteris exercendas commendantur iis præsertim abnegatio, patientia et constantia in fide etc.

Speciatim autem injungitur presbytero, ut vitam in oratione et in jejunio transigat. De oratione dicemus suo loco: relate autem ad jejunium, excepto jejunio trium hebdomadarum, quod episcopi noviter consecrati proprium est, eadem quæ episcopo hac de re presbytero quoque præscribuntur, nimirum ut singulis hebdomadis tribus diebus semper jejunet, ut abstineat a vino, cum quo semper conjungitur abstinentia a carnibus, concediturque ei ægroto usus piscium olerumque.

3. *De diacono.*

Statuitur ut etiam diaconus suffragio cœtus eligatur. Requiritur, ut eligendus sit vitæ probatæ, *immaculatæ et remotæ ab illecebris*, quibus verbis designatur *cœlibatus*: immediate enim additur: *sin minus sit saltem, qui conjunctus fuit matrimonio cum una uxore.*

Ritus ordinationis diaconi consistit in una tantum oratione, cujus

initium «*Deus qui omnia creasti*» quam episcopus recitat, manus imponens super caput ordinandi.

Munera seu officia, quæ diacono tribuuntur, hæc sunt:

I. Quoad synaxim eucharisticam orationemque publicam diaconi est:

a) oblationes fidelium pro eucharistia excipere, offerentium nomina inscribere, oblata ad altare deferre;

b) admonitiones tum in synaxi, tum etiam in sacro conventu uti et litanias proclamare;

c) evangelium in conventu publico æque ac fit a presbytero legere;

d) circumire per ecclesiam, ne quid indecens vel inordinatum contingat, dum preces persolvuntur vel liturgia celebratur;

e) ad fores ecclesiæ tempore orationis vel liturgiæ adstare, ingredientes diligenter observare, introducere dignos, indignos excludere;

f) super sacra mysteria agitare flabella;

g) communionem eucharisticam fidelibus distribuere, eamque ad ægrotos domi decumbentes deferre;

h) tandem lucernam in ecclesia accendere recitando preces ad hoc præscriptas.

II. Quoad sacramentum baptismi debet diaconus:

a) episcopo presbyterisque in collatione baptismi ministrare:

b) cum baptizandis in aquas descendere;

c) absente presbytero et urgente necessitate fas ipsi fit etiam baptizare.

III. Cetera, quæ diacono incumbunt, sunt: a) adire domi catechumenos, eosdemque in fide titubantes corroborare; b) item visitare constitutos in necessitate eisdemque opem ferre; c) curam gerere orphanorum et viduarum; d) speciatim sollicitudinem habere peregrinorum in hospitio ecclesiæ recipiendorum atque ægrotorum, illosque defunctos vestire et humare.

4. *De viduis, diaconissis, presbyteris feminis et de virginibus.*

Nonnulli docti viri[1] passim asserunt *viduas, diaconissas, presbyteras, virginesque sacras* in veterum monumentis idem significare. Ex nostro autem documento palam evincitur singulas enumeratas classes ab invicem prorsus distingui.

Quare de singulis pauca.

A. *De viduis.*

Post diaconos Testamentum recenset mulieres, quas nominat *viduas* vel *viduas canonicas* vel etiam *viduas habentes præcedentiam sessionis.*

Imprimis admonet, non quamlibet viduam, sed illam tantum esse seligendam, quæ diuturno tempore sine viro manserit et quamvis sæpe a suis rogata, ut alteri viro nubat, secundis nuptiis ex motivo a fide inspirato renuntiaverit. Aetas tamen viduæ Deo sacrandæ, quæ præscribitur a Paulo apostolo, ut sit sexaginta annorum (I Timoth. V, 3—13), et per Didascaliam tantum quinquaginta (c. 14), a nostro auctore non determinatur.

Statuit præterea Testamentum, ut eligenda vidua sit probæ, probatæque vitæ, omni genere virtutum commendanda, præsertim vero charitate erga advenas inopesque, assiduitate orationis, humilitate et patientia.

Vidua Deo sacranda ab episcopo benedicitur ritu speciali, quem Testamentum ita describit:

Consistat vidua orans, demisso capite, in sanctuarii limine, tum episcopus, præsente et audiente universo cœtu sacerdotali, submissa voce recitet super ipsam orationem, cujus initium *Deus sancte* etc.

Distinctiones sequentes viduis tribuuntur:

a) ut ipsæ in atrio ecclesiæ, quemadmodum episcopus, presbyteri et diaconi, proprium habeant conclave, ubi commorentur;

---

(1) Vid. inter alios L. Duchesne «Origine du culte chrétien» C. X. pag. 329.

b) ut in conventu sacro locum habeant in sanctuario, liturgiæque celebrationi ibidem adsistant, stantes post presbyteros in latere sinistro, dum diaconi stant post presbyteros in latere dextero. Hæc videtur ratio esse, cur viduæ dicantur habentes præcedentiam sessionis;

c) ut communionem eucharisticam immediate post diaconos et ante lectores, hypodiaconosque suscipiant.

Ex quibus apparet viduas fuisse quodammodo in cœtum cleri recensitas. Declarat tamen Testamentum expresse, nefas esse viduis in ecclesia loqui.

Deinde assignat auctor noster viduis hæc munera seu officia:

a) orandi in ecclesia statutis horis, et recitandi, privatim tamen, preces præscriptas ad mediam noctem et ad auroram;

b) invigilandi super diaconissas;

c) instruendi accedentes ad fidem easdemque ad perseverantiam incitandi, bonaque consilia præbendi catechumenis;

d) mulieres renitentes reprehendendi, idiotas erudiendi, delinquentes corrigendi, incorrigibiles episcopo denunciandi, seque incongrue habentes in ecclesia corripiendi;

e) die dominica, uno vel duobus diaconis comitantibus, ægrotos domi visitandi;

f) tandem mulieres in baptismo ungendi oleo catechumenorum, easdemque denudatas velandi, dum repetunt *abrenuniationes*, *formulamque submissionis Deo* faciendæ.

Hic opportunum est animadvertere minime admittendam esse opinionem illam nonnullorum eruditorum (Funk in notis ad c. XXI Canonum eccles. apost.), qui arbitrantur fuisse *virgines vocatas viduas, nempe virgines adscriptas cœtui viduarum*. Nam præter supra allegata, ipse textus paulinus (I Timoth. V), qui loquitur de vidua proprio et stricto sensu, opinionem illam excludit. Insuper Tertullianus (de veland.

virg. 9) adscriptionem virginis cœtui viduarum *monstrum* quoddam vocat. *Scio*, ait, *alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam: cui si quid refrigerii debuerat episcopus, aliter, utique salvo respectu disciplinæ, præstare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum in ecclesia denotaretur.*

Quoad locum ex epistola s. Ignatii (Smyr. XIII, 1), qui locus fortasse hujus opinionis exstitit causa, ibidem addenda est copulativa καί (et), ut habet textus recensionis longioris Græcus.

B. *De diaconissis.*

Præter viduas commemorat Testamentum *diaconissas*, de quarum tamen institutione seu benedictione nullum fit verbum, et proinde dijudicandum est illas nullo fuisse speciali ritu constitutas.

Quod attinet ad locum, quem ipsæ in ecclesia occupabant, et ad officia, quibus fungebantur, hæc a Testamento statuuntur:

a) habent diaconissae quidem stationem prope introitum seu januam ædis ecclesiæ, attamen non ipsis, sed diacono jus demandatur introducendi in ecclesiam, vel ab ejusdem ingressu excludendi accedentes sive viros sive mulieres;

b) in sanctuario tempore celebrationis liturgiæ diaconissæ ultimum locum post lectores et hypodiaconos occupant;

c) communionem eucharisticam non post prædictos clericos, sed post viros et ante laicas mulieres suscipiunt;

d) nullum exercent officium charitatis erga pauperes vel advenas aut ægrotos; nullumque ministerium præbent in baptismo mulierum;

e) ipsarum tamen munus est ad mulieres decumbentes domi eucharisticam communionem deferre.

Ex dictis liquet juxta antiquam et primitivam disciplinam, quam describit Testamentum, viduas quidem, minime vero diaconissas, potiorem et propiorem ad cœtum sacerdotalem in ecclesia locum obtinuisse.

illasque præ istis comparticipes factas fuisse muneris diaconorum quoad ægrotorum curam et ministerii ungendarum mulierum in baptismo.

Hujusmodi perantiquam disciplinam testatur et primus libellus vetustissimorum *Canonum ecclesiasticorum apostolorum*, qui institutionem viduarum subnectit institutioni diaconorum agitque de quibusdam officiis, quae eisdem incumbunt (c. XXII); e converso denegat quodlibet sacrum ministerium committendum diaconissis (c. XXIV, XXVIII).

Non multo post hæc pristina disciplina immutata fuit, translatis officiis viduarum ad diaconissas. Didascalia id evidenter testatur, dum tribuit (c. 16) diaconissis munus ungendi mulieres in baptismo. Idem confirmant Constitutiones apostolicæ (l. II, 26, 51; l. III, 19); quin etiam statuunt, ut viduæ obediant diaconissis (l. II, 10).

C. *De mulieribus quæ dicebantur presbyteræ.*

Præter viduas et diaconissas Testamentum bis mentionem facit classis in ecclesia a prædictis distinctæ, nempe mulierum, quæ nominantur ibidem *presbyteræ*, semel quidem in litania diaconali, ubi ante hypodiaconos et lectores oratur pro illis hisce verbis: *pro presbyteris* (feminis) *supplicemus, ut Dominus exaudiat earum supplicationes, et perfecte in gratia spiritus custodiat earum corda, adjuvetque earundem laborem:* iterum vero in describendo sacro conventu noctis paschæ, ubi monet *presbyteras* post nocturnum officium absolutum manere debere in ecclesia apud episcopum, mane usque orantes quietemque capientes.

An autem presbyteræ in ecclesia aliquod munus exercuerint, ex vetustis monumentis nequit deduci. Canon 11 concilii Laodicensis *presbyteras* cognominat *præsidentes*, quo indicat illas primum locum inter mulieres laicas in conventu sacro occupasse, quemadmodum et viri provectiores ætate primi ante ceteros sacris officiis adstare solebant. Nihilominus idem canon concilii Laodicensis proscribit abusum invectum *benedicendi* seu *ordinandi presbyteras*.

D. *De virginibus.*

Restat dicendum de virginibus. Sciendum itaque est auctorem nostrum in distincto capite agere de virginibus tamquam specialem classem in ecclesia constituentibus, quae tamen classis complectitur utrumque sexum et proinde in nostro documento virgines idem sunt ac cœlibes.

Porro Testamentum admonet dedicationem virginitatis Deo faciendam nulla solemnitate vel benedictione sanciri.

Prædicti cœlibes seu virgines perhibent nobis prima exordia ascetismi christiani, quæ ita describuntur.

Qui ex fidelibus utriusque sexus in ipso actu suscipiendi baptismi expetunt sponte Deo virginitatem consecrare, renuntiantes voluptatibus et sæculi curis, recipiunt a fidelibus quæ ipsis sunt necessaria ad vitam, ut sic possint vacare assiduis orationibus, meditationi sacrarum Scripturarum, jejuniis vitæque austeræ, attendentes quolibet temporis momento migrationem ex corruptibili corpore. Neque idcirco tamen isti ascetæ in solitudinem secedebant, sed inter suos commorabantur, ut sic etiam possent proximo afferre solatium, erudire præcipue juniores atque omnibus exempla ad sanctitatem incitantia præbere.

Idem Testamentum alibi casum commemorat, quo, si vir, cui sunt liberi atque bona, velit Deo per reliquum vitæ tempus se dedicare, distributis inter pauperes bonis, secedat a liberis et penes ecclesiam permaneat.

Virginibus in nostro documento hæc tribuuntur:

1. ut psalmos alternatim cum puerulis in officio sacro canant;

2. ut primum locum præ ceteris in ecclesia teneant, quod extendendum videtur etiam ad cœlibes viros;

3. ut iidem cœlibes viri s. communionem recipiant ante laicos;

4. ut consecrantes virginitatem Deo in actu suscipiendi baptismi manu ipsius episcopi baptizentur.

5. *De clericis inferioribus.*

Præter diaconum recenset Testamentum lectorem et hypodiaconum, ita tamen ut lectorem ante hypodiaconum plerumque nominet, eique præcedentiam ante hypodiaconum semper tribuat. Nominatim assignat lectori locum immediate post diaconum in sanctuario, ubi celebrationi liturgiæ interesse debet, et hypodiaconum post lectorem statuit; eodemque indicato ordine notat ipsos ad sacram communionem accedere debere.

Hæc autem officia tribuuntur lectori:

1. recitare lectiones propheticas post orationem auroræ et ante sacram synaxim;

2. operam præstare diacono in nominibus afferentium oblationes ad missæ sacrificium inscribendis;

3. circumire una cum diacono per ecclesiam, dum sacra peraguntur, ut ordo servetur;

4. recitare inter solemnia missarum vel totaliter vel partialiter loco diaconi diptycha continentia nomina intentionesque offerentium oblationes.

Hypodiaconi autem nullum omnino determinatum atque proprium munus a Testamento commemoratur, excepto illo concomitandi ad instar lectoris diaconum in circumeundo per ecclesiam ad ordinem observandum.

Imo, quæ in disciplina orientali ad hypodiaconum pertinere exhibentur, uti est fores(1) ecclesiæ custodire etc., ea diacono a nostro auctore tribuuntur.

Difficile est conjectura assequi causam, cur auctor noster officium hypodiaconi proprium silentio prætereat, cujus tamen mentionem plerumque inserit post lectorem, raro etiam ante lectorem, uti dictum est. Neque liquet, an hoc ultimum sit adscribendum interpolationi operis

(1) Constit. ap. l. VIII, 11; synod. Laod. c. 43.

ex disciplina sequioris ævi. Quin imo videtur ritus de institutione hypodiaconi aliquam suspicionem afferre, quum ipsa formula ibidem proposita ab episcopo recitanda in ordinatione hypodiaconi non modo non habeat ne verbum quidem de officio ipsi committendo, sed mera est exhortatio ad ordinandum directa, ut «cum timore Dei evangelium audiat, colatque in sanctitate scientiam sui ipsius» etc.: quæ profecto verba omnibus omnino Christi fidelibus conveniunt.

Institutio lectoris fit per traditionem codicum sacrarum lectionum, quorum volumen episcopus illi porrigit hisce verbis: «Tu autem, quem Christus vocavit, ut sis minister verborum ipsius, cura et contende, ut probatus comperiaris.» Minime autem hanc formulam concomitatur impositio manus, quam commemorat auctor Constitutionum apost. (lib. VIII, c. 22).

DISSERTATIO III.

De liturgia missæ.

Omnium, quæ in Testamento continentur, documentorum nobilissimum atque præstantissimum illud habendum est, quod nobis exhibet venerandam liturgiam primitivæ ecclesiæ. Eo pretiosius censendum est Testamentum, quod præter orationem eucharisticam, quæ constituit proprie dictam liturgiam, describat etiam partem illam missæ, quæ dicitur catechumenorum, et quod majoris est momenti, textum proponat concionis mystagogicæ ad explananda arcana fidelibus, tradatque insuper integras proclamationes orationesque diaconales in missa recitandas, et tandem indicat statuta vel cerimonias servandas in sacra synaxi celebranda.

Præstat simul hic colligere et ordine sub oculos ponere, quæcumque ibidem sparsa habentur ad ritum offerendi sacrificii missæ spectantia.

In describenda porro sacra liturgia ex Testamento visum est nobis cum ipsa conferre, quæ eidem respondent sive in Constitutionibus

apostolicis sive in aliis ecclesiæ liturgiis, quo et liturgiæ nostræ vetustas melius innotescat, et reliquarum omnium apostolica communis origo ostendatur.

1. *Missa catechumenorum.*

Hæc liturgiæ pars, quæ *catechumenorum* dicitur, ex eo quod in pristina disciplina catechumeni stantes in æde sibi destinata illi adsistere tenebantur, incipit cum lectionibus sacris et terminatur cum catechumenorum dimissione. Distinctius ac plenius quam a S. Justino (Apol. I, 67) ab auctore Testamenti describitur hæc liturgiæ pars. «Absoluta itaque oratione (auroræ), legat lector prophetas ceterasque (lectiones); presbyter autem aut diaconus legat evangelium, demum episcopus vel presbyter doceat, quæ conveniant et prosint. Tum fiat oratio, suscipiantque catechumeni manus impositionem.»

Ex citata descriptione discimus

1. Præter evangelium fuisse recitatas *plures* lectiones ex sacra scriptura, quarum prima desumenda erat ex *prophetis;*

2. Non alium quam lectorem debuisse ex officio recitare prædictas lectiones, excepto evangelio;

3. Officium legendi evangelium pertinuisse indifferenter sive ad presbyterum sive ad diaconum;

4. Post lectionem evangelicam episcopum, eoque impedito, presbyterum debuisse fideles catechumenosque opportuna atque utili concione hortari.

Conferenda modo est hæc pars missæ cum Constitutionibus apostolicis, aliisque liturgiis.

Quod attinet ad Constitutiones apostolicas, jampridem viri eruditi observarunt duas ibidem exhiberi diversas descriptiones illius liturgiæ partis quæ a missa catechumenorum incipit et desinit ante præfationem, quarum prima exstat in lib. II, c. 57 earundem Constitutionum, altera in lib. VIII, cc. 5—11 sub titulo liturgiæ S. Andreæ: iidem tamen viri

non investigarunt causam hujus discrepantiæ, quæ videtur inde repetenda, quod conflator l. VIII in suo opere inseruerit liturgiam, quam adscribit S. Andreæ, quæque pertinet ad regionem(¹) diversam ab illa, cujus ritus et usus describuntur tum in lib. II, tum in ipso lib. VIII, cc. 12—15 in ea parte, quæ liturgia S. Jacobi dicitur.

Hisce præmissis, comparemus nostram descriptionem primo cum II, deinde cum VIII libro.

Liber II (l. c.) indicat ex Vet. Test. legendas esse tres vel plures lectiones desumendas ex *pentateucho*, ex libris *hagiographis* et *propheticis*, et ex Nov. Test. tres lectiones quoque sequenti ordine recitandas, nempe primo ex *actibus apostolorum*, deinde ex *epistolis paulinis*, denique ex evangelio. Notat insuper lectiones Vet. Test. a lectoribus esse legendas; evangelium autem a presbytero vel a diacono.

Liber vero VIII (l. c.) duas tantum lectiones ex V. T. commemorat, nempe ex *lege* et ex *prophetis*, et diverso modo disponit lectiones ex N. T., nempe primo ait legi ex *epistolis paulinis*, deinde ex *actibus apostolorum*, denique ex *evangelio*.

Syri(²) omnes (i. e. computatis etiam Chaldæis et Maronitis) sequuntur descriptionem lib. II tum quoad numerum lectionum tum quoad ordinem, quo leguntur. Notandum est insuper apud prædictos, aliquando lectiones ex *actibus apostolorum* substitui ex *epistolis catholicis*.

Ex ritu byzantino exciderunt in liturgia lectiones ex V. T.(³) et lectio ex actibus apostolorum, et nonnisi una lectio ex epistolis S. Pauli recitatur; post epistolam vero sequitur lectio evangelica.

Armena tamen liturgia, quæ ex byzantina ducit originem, habet unam lectionem propheticam ante epistolam.

(¹) Vid. in Prolog. not. 2 ad pag. XXXI.

(²) Plurima lectionaria Ms. quæ continent lectiones V. et N. T. recitandas in missa juxta ritum Syrorum et Chaldæorum exstant in bibliothecis Vaticana, Parisiensi et Londinensi. Vid. Catalogos.

(³) In officio tamen ritus byzantini ad vesperas exstant lectiones ex V. T.

Non occurrunt autem lectiones ex V. T. neque in liturgia coptica, neque in æthiopica. Verum in utraque leguntur ante evangelium tres lectiones ex N. T. sequenti ordine: 1. ex epistolis paulinis; 2. ex epistolis catholicis; 3. ex actibus apostolorum. Hic ordo proxime accedit ad illum lib. VIII C. A. (l. c.) quem nuper indicavimus.

In liturgia tandem Romana [1] luculenta manserunt vestigia lectionis propheticæ, quæ semper præcedebat epistolam.

Hæc de lectionibus: quod attinet ad exhortationem seu homiliam habendam post evangelium, notandum est librum II C. A. (l. c.) statuere «*ut presbyteri exhortentur populum, singuli non omnes, postremo vero omnium episcopus*» [2].

Liber autem VIII. Constit. l. c. convenit cum nostro documento, cum perhibeat episcopum solum hortantem [3] populum; in hoc vero differt ab eo, quod dicat episcopum ante pronuntiandam homiliam salutare cœtum illis verbis: «*Gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei ac Patris etc.*» [4]

Post homiliam in descriptione Testamenti sic proclamat diaconus:

«Surgamus; [5]

Quislibet locum suum noscat;

Catechumeni abeant;

---

(1) Vid. Duchesne in op. *Origines du Culte chrétien* pag. 160.

(2) Peregrinatio (Silviæ) refert Hierosolymis morem fuisse, ut non unus sed plures presbyteri prædicarent, deinde episcopus pronuntiaret homiliam. «*Sunt omnia*, inquit, *secundum consuetudinem, quæ ubique fit die dominica . . . Hic consuetudo est, ut de omnibus presbyteris, qui sedent, quanti volunt prædicent, et post illos omnes episcopus prædicat, quæ prædicationes propterea semper dominicis diebus sunt, ut semper erudiatur populus in Scripturis et in dilectione Dei*». Gamurrini pag. 80 et seq.

(3) Notatu dignum est vetustos codices evangeliarii juxta ritum Maronitarum exhibere sæpe commentarium post lectionem evangelicam, qui commentarius legendus erat ad populum loco homiliæ.

(4) Vid. supra proleg. in not. 2 ad pag. XXXI.

(5) Etiam S. Justinus testatur post exhortationem præsidis omnes surgere ad orandum.

Videte, ne quis immundus, ne quis socors;
Sursum oculos cordium vestrorum;
Angeli inspiciunt;
Videte, qui non confidit, abeat;
Concordi mente supplicemus;
Ne quis adulter, ne quis iratus;
Si quis peccati servus existit, abeat;
Videte, tamquam filii lucis rogemus; supplicemus Dominum Deum Salvatoremque nostrum Jesum Christum.»

Ex iis, quæ leguntur in lib. II c. Testamenti, colligitur hoc ordine stetisse fideles et catechumenos in æde sacra. E regione quidem dextera primi stabant viri fideles; post eos et seorsim ab eis viri catechumeni; e regione autem sinistra primum locum occupabant puellæ virgines ex cœtu fidelium, et post eas, sed separatim, stabant puellæ item virgines ex catechumenis; tum sequebantur mulieres fideles, et post has, separatæ tamen, mulieres catechumenæ.

Hoc itaque ordine dispositi omnes ad citatam proclamationem diaconi surgebant orabantque in silentio; expleta autem oratione, catechumeni mox discessuri sibi invicem pacem dabant, viri viris, mulieres mulieribus; tum vero episcopus, eoque impedito, presbyter super illos manum imponens, brevem recitabat orationem a Deo petens, ut illis concederet «intelligentiam, completionem, fidem haud ancipitem, agnitionemque veritatis.» Catechumeni, suscepta manus impositione discedebant ad vocem diaconi proclamantis: «Abeant catechumeni.»

Non parum a nostro differt, quoad ritum dimittendorum catechumenorum, lib. VIII Const. ap. l. c.

Hæc enim ibidem statuuntur:

Post intimationem «Ne quis audientium» etc. invitet diaconus catechumenos ad orandum, deinde flectentibus iisdem genua recitet litaniam continentem pro illis varias supplicationes, quarum singulis

populus quidem submissa, pueruli vero elata voce respondent «Kyrie eleison». Post litaniam jubeat diaconus catechumenos surgere et implorare a Deo pacem eique se commendare. Deinceps iterum illos invitet, ut capita inclinent ad suscipiendam benedictionem episcopi, qui super illos manum imponens recitat brevem orationem, qua finita et clamante diacono «Exite catechumeni», iidem discedunt.

Similem ritum exhibet idem liber VIII (l. c.) pro dimittendis successive aliis tribus classibus, nempe *illuminandis*, *energumenis* et *pœnitentibus*.

Liturgia autem Testamenti nullam formulam continet ad dimittendas memoratas classes, nullamque de iisdem hic mentionem facit. Imo admonitiones illæ diaconi superius memoratæ «*Videte ne quis adulter, ne quis iratus*» et tandem «*Si quis servus peccati, abeat*», quæ intermiscentur admonitionibus, quibus fideles excitantur ad orationem, satis superque ostendunt pœnitentes nondum fuisse in peculiarem unam classem coordinatos et constitutos.

Videamus, nunc quæ sit ratio dimittendi catechumenos in ceteris liturgiis.

In illa quam respicit l. II Const. ap. dicitur simpliciter dimitti *catechumenos* et *pœnitentes*.

Liturgia byzantina convenit cum liturgia S. Andreæ[1], quæ continetur in lib. VIII Const. apost. (c. 6), eosdemque habet ritus, ac præfata liturgia in dimittendis catechumenis; omittit tamen dimissionem ceterarum classium, nempe illuminandorum, energumenorum etc.

In liturgia armena hodie etiam diaconus sic proclamat: «*Ne quis catechumenorum; ne quis modicæ fidei, ne quis ex pœnitentibus, ne quis ex immundis accedat ad divinum mysterium.*»

---

[1] Hæc est una ex tot aliis rationibus, ob quam putamus liturgiam S. Andreæ Const. apost. pertinere ad ritum, qui hodie byzantinus dicitur. Neque omittendum est S. Andream haberi a græcis primum episcopum byzantinum.

Liturgia syriaca servavit vestigium veteris ritus dimittendi catechu menos in illa stropha, quæ certis diebus canitur: ܡܢ ܕܠܐ ܩܒܠ ܠܗ ܡܥܡܘܕܝܬܐ ܢܐܙܠ ܩܥܝܐ ܥܕܬܐ: «Clamat ecclesia, ut abeat, qui non suscepit baptisma.»

In liturgia chaldaica sic conclamat diaconus: «Qui non suscepit baptisma, abeat, qui non accepit signaculum vitæ, abeat, qui non est sumpturus illum, abeat.»

In liturgia Maronitarum bis repetit diaconus: «Ite in pace audientes.»

Liturgia coptica S. Cyrilli, uti etiam liturgia æthiopica, nullam continent formulam dimittendorum catechumenorum. Attamen in vetustiore liturgiæ alexandrinæ recensione, quæ appellatur S. Marci, dicit diaconus: «Videte, ne quis catechumenorum.»

Etiam in liturgia romana hodie deest dimissio eorum, qui missæ adesse non debent, quamvis S. Gregorius magnus (Dial. II, 23) testatur suo tempore «diaconum ex more clamasse: Si quis non communicat, det locum.»

2. *Oratio fidelium.*

Juxta Testamentum, dimissis iis quibus nefas erat sacrificio missæ interesse, diaconus invitat fideles ad orationem, proclamans: «*Videte, tamquam filii lucis rogemus: supplicemus Dominum Deum et Salvatorem nostrum Jesum Christum.*» Hinc episcopus vel presbyter recitat elata voce orationem (cujus tamen textus desideratur in Testamento), dum fideles sese prosternant.

Absoluta oratione et adhuc fidelibus genuflexis, pronunciat diaconus litaniam continentem varias *intentiones*, qua absoluta et signo ab episcopo dato, clamat: «*Surgamus in Spiritu sancto.*» Hinc erectis omnibus, episcopus vel presbyter recitat orationem.

Intentiones seu enuntiationes, quas enumerat litania diaconalis, sunt hæ: 1. pro pace, quæ de cœlo est etc.; 2. pro fide; 3. pro concordia et unanimi mente; 4. pro patientia; 5. pro apostolis; 6. pro

prophetis; 7. pro confessoribus; 8. pro episcopo; 9. pro presbyteris; 10. pro diaconis; 11. pro (feminis) presbyteris; 12. pro hypodiaconis, pro lectoribus, et diaconissis; 13. pro laicis fidelibus; 14. pro catechumenis; 15. pro regno (seu imperio); 16. pro principatibus excelsioribus; 17. pro universo mundo; 18. pro navigantibus; 19. pro iis, qui persecutionem patiuntur; 20. pro defunctis; 21. pro iis, qui lapsi sunt; 22. pro nobis cunctis.

Notandum est istam litaniam reperiri hodie apud Aethiopes[1] in liturgia missæ, non eodem tamen loco ac in liturgia nostra, et cum nonullis immutationibus et additamentis. Ita v. g. in 5 et 6 *prophetæ* anteponuntur apostolis; in 9 supprimuntur *presbyteri;* in 12 post lectores adiiciuntur *cantores;* in 19 omittuntur, qui persecutionem patiuntur; in 18 additur *pro afflictis, pro famem ac sitim patientibus, pro carceratis, pro ductis in captivitatem;* et post 20 additur *pro pluviis, pro aquis et pro fructibus terræ.*

Quae quidem immutationes et additiones produnt recentiorem ætatem, uti patet: nihilominus ex litania æthiopica restitui debet in nostram: «*Oremus pro viduis et virginibus, ut Deus exaudiat ipsarum preces*» etc.—

Modo comparemus cum nostra ceteras liturgias quoad descriptam *orationem fidelium.*

In liturgia l. VIII Const. apost. (c. 9—11) occurrit eadem forma ejusdem orationis, similisque litania diaconalis; deest tamen mentio precis proferendæ ab episcopo vel presbytero ante litaniam.

L. II autem Const. ap. (c. 57) post dimissionem catechumenorum et pœnitentium hæc tantummodo habet: «deinde cuncti pariter consurgentes et in orientem spectantes orent Deum, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem, ac recordantes antiquam illam possessionem paradisi . . .» ubi nulla exhibetur formula orationis. Attamen analoga nostræ diaconi litania occurrit post osculum pacis.

---

(1) Vid. Brightman, *Liturgies eastern and western* p. 206.

Maxima varietas apparet in ceteris liturgiis quoad orationem fidelium.

Liturgia quidem syriaca et cum ipsa genuina maronitica(¹) videntur sequi ordinem, quem innuit l. II Const. apost. Videlicet juxta prædictam liturgiam post dimissionem catechumenorum, cunctis erectis, pronuntiatur a celebrante oratio propitiatoria, seu supplicatoria, et nonnisi post osculum pacis, recitari debent litaniæ, quæ apud Syros audiunt *liber vivorum et mortuorum* (ܣܦܪ ܚܝ̈ܐ ܘܡܝ̈ܬܐ).

Chaldaica etiam liturgia præscribit ad osculum pacis diebus solemnioribus recitandum *librum vivorum et mortuorum.* Attamen præter istum librum continet eadem liturgia litaniam diaconalem in duas partes divisam, quarum altera immediate post evangelium, altera post symbolum fidei recitatur.

Liturgia byzantina litaniam diaconalem in tres partes dividit, quarum prima recitatur statim post evangelicam lectionem et ante catechumenorum dimissionem, secunda post *cherubicon* seu processionem, qua panis et vinum ad altare deferuntur, tertia denique immediate ante osculum pacis.

Liturgia armena distribuit litaniam prædictam in duas partes, alteram collocans immediate ante lectiones, alteram post symbolum fidei, quod recitatur apud Armenos statim post evangelium.

In liturgia coptica (cum qua concordat æthiopica) una pars litaniæ proclamatur post evangelium, altera ante symbolum fidei, quod ibidem præcedit immediate osculum pacis.

Denique liturgia romana servavit vestigium(²) orationis fidelium

---

(¹) Penes Maronitas diptycha ista post *pacem* a celebrante recitantur, et proinde in ipso anaphoræ corpore inserta reperiuntur (cf. Missale Maronitarum. Romæ 1594 pag. 223). Apud Jacobitas vero obsolevit usus *libri vivorum et mortuorum*, quem commentatores, uti Bar-Kepha et Bar-Salibi, commemorant legendum a diacono post osculum pacis.

(²) Cf. Duchesne in «Origines du culte chrétien» pag. 164.

in illa admonitione, qua celebrans post symbolum, postquam fideles salutaverit dicendo «Dominus vobiscum», invitat populum ad orandum dicens «Oremus», quam tamen invitationem hodierno more oratio non sequitur. Procul dubio hic olim recitabantur illæ orationis formulæ, quæ hodie ad hunc locum dicuntur in missa præsanctificatorum feriæ VI hebdomadæ majoris, quarum series et argumentum respondent supra memoratæ litaniæ diaconali.

Præterea in eadem liturgia post lotionem manuum occurrit oratio «*Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus, ob memoriam passionis etc. . . . Jesu Christi . . . et in honorem beatæ Mariæ . . . beati Joannis Baptistæ et sanctorum apostolorum etc.*», quæ fere eundem locum occupat ac liber vivorum et mortuorum liturgiarum orientalium, idemque argumentum ac ille continet.

3. *Concio mystagogica.*

Præter homiliam, qua *catechumeni æque ac fideles* excitandi erant, ut vitam conformarent præceptis sacrarum litterarum, præscribit Testamentum, post dimissos catechumenos et immediate ante oblationem incruenti sacrificii, ab episcopo proferendam esse aliam concionem, quam *Mystagogicam* appellat, qua explanari debent dogmata, quæ *solis fidelibus* revelanda sunt, et proponit ipsum textum prædictæ mystagogicæ, quæ tota in eo versatur, ut doceat, quis sit Dominus Jesus Christus, et notum faciat præcipue mysterium incarnationis et redemptionis, relatamque victoriam a Christo de morte atque de inferis enarret.

Quoad Dominum Jesum Christum, quis sit, sic concio exorditur: «Qui fuit, qui prope adest, et qui venturus, ille ipse est, qui passus, qui sepultus est, qui resurrexit, quique a Patre fuit glorificatus . . . non est homo tantummodo, sed cum hoc et est Deus.» Quod ut plenius explicet, subjungit, eundem «esse consilium a Patre indivisum, ipsius-

que voluntati coæqualem, factorem cœli cum suo Patre, coronam angelorum, robur archangelorum, amictum exercituum, spiritum dominationum, regem regni æterni, principem sanctorum, mentem inscrutabilem Patris, sapientiam, virtutem, dominum, consilium, intellectum, manum et brachium Patris.» Illico autem subdit sequentia: «Credentes confitemur ipsum esse lucem, salutem, salvatorem, protectorem, adjutorem, doctorem, liberatorem, remuneratorem, præsidium, firmitatem, murum nostrum, ipsumque esse nostrum pastorem, introitum, viam, vitam, medicinam, escam, potum atque judicem.»

Post allata verba, paucis interjectis, sic Mystagogica commemorat sacramentum eucharistiæ: «Ipse est (i. e. Christus), cujus corpus, cum frangitur, fit in nostram salutem, et sanguis in spiritum, vitam et sanctitatem.»

Mysteria incarnationis et redemptionis sic exponuntur: «Hic itaque, qui est Deus, qui ante sæcula cum Patre æterno est Deus, videns mundum in vinculis peccati intereuntem, astutique rapacis animalis vi pessumdatum mortisque servituti mancipatum esse per insaniam atque errorem, meditatus est sanare genus humanum, ideoque in virgineum uterum venit, se occultans a cunctis cœlestibus aciebus, adversosque exercitus(1) (i. e. dæmones) in ignorantiam dejiciens. Induens igitur iste incorruptibilis carnem corruptibilem, incorruptibilem effecit carnem, quæ sub morte erat . . . Hic ergo homo factus, Filius Dei Dominus . . . crucifixus est pro nobis, cujus crux est vita, firmitas et salus nostra, et mysterium absconditum et gaudium ineffabile . . . Olim quidem (mysterium crucis) absconditum erat, modo dum revelatur crux, non uti apparet, sed prout revera est, a fidelibus debet æstimari.»

Triumphum denique de inferis et de morte celebrans, mortem inducit ita clamantem, dum ipsa obvium sibi intuetur Dominum, pul-

(1) Cf. Proleg. cap. VI.

chritudinem divinitatis, uti ait, habentem: «Quis est qui carnem mihi mancipatam ab interitu arripit? Quis est iste, qui est terra indutus, sed cœlum est? . . . Heu! Longe fugiendum mihi est ab illo a suisque; neque enim potis sum illis læsionem inferre» etc..

Jam alibi monuimus ex Testamento dogma de resurrectione corporum fuisse catechumenis celatum et nonnisi nocte paschæ neobaptizatis revelatum.

4. *Ordo a clero servandus in celebratione liturgiæ.*

Auctor noster, antequam exhibeat formulam liturgicam ad sacra offerenda, diligenter notat, quo ordine episcopus et ceteri, qui ei adsistunt in celebranda liturgia, consistere debeant in sanctuario. Præscribit enim, ut episcopus sit in medio coram altari, et post ipsum hinc et inde presbyteri, e regione quidem dextera presbyteri honorabiliores et *qui laborant in verbo*, e sinistra reliqui, post presbyteros e regione dextera diaconi, post illos, qui sunt in regione sinistra viduæ, post diaconos lectores, post hos hypodiaconi, post hypodiaconos diaconissæ. Recensentur ultimo loco habentes charismata inter illos, qui ad altare stant tempore liturgiæ.

Præterea documentum nostrum alibi (lib. II, c. X) commemorat «diaconos, qui flabella agitant super calicem in celebratione liturgiæ.»

Tandem idem noster auctor monet velum, quod ad portam sanctuarii pendet, esse obducendum tempore celebrationis liturgiæ.

Præter diaconos, qui stant in sanctuario ad ministrandum episcopo celebranti, mentio fit, in eodem documento, tum diaconi, qui circumire debet per ecclesiam ad ordinem servandum inter fideles utriusque sexus, quique aliquando coadjuvatur a lectore, tum alterius diaconi, qui custodiat portas, ne indigni vel sero advenientes in ecclesiam ingrediantur.

Discrepant lib. II. Const. apost. (c. 57) et lib. VIII (c. 11) tum ab

invicem tum a nostro quoad custodiam portarum. Etenim in lib. II assignantur *ostiarii* ad introitum virorum, et *diaconissæ* ad introitum mulierum: in lib. VIII in liturgia, quæ tribuitur S. Andreæ, assignatur *diaconus* ad portas virorum et *subdiaconus* ad portas mulierum.

Animadvertendum est insuper utrumque librum cum nostro documento convenire de diacono, qui debet recto ordini conservando inter fideles prospicere.

Præterea liturgia S. Jacobi in l. VIII. Const. ap. (c. 12 et seq.) commemorat presbyteros adstantes a dexteris et a sinistris episcopi ad altare, nec non duos diaconos agitantes hinc et inde flabella super calicem.

5. *Dispositio oblatorum super altare.*

Denotat Testamentum diaconum deferre debere ad episcopum stantem ad altare panes, quos obtulerunt fideles, et calicem vini mixti aqua. Tunc episcopus assumit die dominica quatuor panes, die vero sabbati tres tantum.

Panibus et calice super altare collocatis, præscribitur, ut episcopus et cum eo etiam presbyteri adstantes imponant manus super panes illos. Quæ quidem cerimonia nullibi alias occurrit.

Lib. VIII Const. ap. (c. 12) agit de donorum delatione ad episcopum post pacem, de quo mox dicturi sumus.

Quod ad ceteras liturgias spectat, notum est in plerisque orientalibus liturgiis ante osculum pacis dona deferri ad altare maximo cum apparatu, ex recentiore tamen usu.

Osculum pacis.

Post commemoratam impositionem manus super oblata, admonet Testamentum necesse esse, ut ante inchoandam liturgiam populus invicem sibi det pacem, nulla tamen facta mentione neque proclamationis

a diacono ad populum dirigendæ de pace danda, neque alicujus formulæ ad hoc a celebrante pronuntiandæ.

Videtur lib. II Const. apost. (c. 57) indicare osculum pacis dari ad proclamationem diaconi: «*Ne quis contra aliquem, ne quis in hypocrisi.*» Quæ quidem verba reperiuntur in lib. VIII, (c. 12) ad finem admonitionum, quas diaconus profert post datam pacem. Praeterea idem lib. II exhibet binas precationes a celebrante pronuntiandas ad benedicendum populum post pacem. Equidem in liturgiis Syrorum, Maronitarum, Coptorum et Æthiopum reperitur oratio pacis, quæ tamen ante dandam pacem recitatur, eaque non ad populum sed ad Deum dirigitur ad implorandam ab ipso pacem.

Lib. VIII, (c. 11) designat pacem dandam ad salutationem episcopi: «*Pax vobis.*»

In omnibus liturgiis orientalibus pax datur tum ad verba *Pax vobis*, quibus celebrans salutat adsistentes, tum ad intimationem diaconi: «*Demus* vel *date pacem invicem*», uti apud Syros, Chaldæos et Maronitas, vel: «*Salutate vos invicem in osculo sancto*», uti apud Coptos, Æthiopes et Armenos. In liturgia byzantina dicit diaconus: «*Diligamus alter alterum, ut confiteamur mente concordi*».

Notum est omnibus in liturgia romana pacem dari ante communionem.

Post datam pacem subdit Testamentum fieri debere magnum silentium, inducitque exinde diaconum proclamantem admonitiones, quas vocat *proclamationes super eucharistiam* vel potius *de eucharistia.* Sunt autem hæ: «*In cœlos corda vestra. Si quis odium contra proximum habet, reconcilietur. Si quis in conscientia incredulitatis versatur, confiteatur. Si quis habet mentem alienam a præceptis, discedat. Si quis in lapsu est peccati, ne se abscondat, nefas est ei se abscondere. Si quis ægrota mente laborat, ne accedat. Si quis pollutus, si quis non firmus, locum det. Si quis alienus a Jesu præceptis, abeat. Si*

quis prophetas spernit, semet segreget, servetque se ab ira Unigeniti. Ne crucem despiciamus; a minis fugiamus; nostrum Dominum videntem habemus, Patrem luminum cum Filio, angelosque visitatores. Videte vosmetipsos, ne teneatis odium in proximos vestros; videte, ne quis in ira versetur. Deus videt.» Et concludit excitans fideles ad corda elevanda et ad sacrificium offerendum hisce verbis: «*Sursum corda vestra ad offerendum in salutem vitæ et sanctitatis. Sapientia Dei suscipiamus gratiam, quæ nobis donata est.*»

Nemo non videt, quantum redoleant citatæ proclamationes remotissimam antiquitatem.

Nihil notatur in lib. II Const. apost. dicendum a diacono post osculum pacis. Sed in lib. VIII, (c. 12) diaconus postquam repetit: «Ne quis catechumenorum etc.» sic disponit fideles ad offerendum sacrificium cum celebrante: «*Stemus erecti cum timore et tremore,*» quæ proclamatio reperitur fere ad verbum in liturgiis syriaca, coptica, byzantina et armena; in liturgia chaldaica dicit diaconus: «*State vigilanter et diligenter.*»

6. *Præfatio orationis eucharisticæ.*

Episcopus inchoans orationem eucharisticam populum salutat hisce verbis: «*Dominus noster sit vobiscum.*» Cui respondetur «*et cum spiritu tuo.*» Pristinam hanc salutationis formulam, quæ prefationi præmittitur, cum romana liturgia etiam alexandrina et æthiopica conservarunt. Ceteræ vero liturgiæ in aliam ex II Corinth. XIII, 13 concinnatam immutarunt.

Liturgia enim S. Jacobi in Const. apost. habet: «*Gratia omnipotentis Dei et charitas Domini nostri Jesu Christi et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis.*» Ejusdem S. Jacobi liturgia græca et syriaca habet: «*Charitas Dei Patris et gratia Domini Jesu Christi et communicatio etc.*» Byzantina autem et chaldaica: «*Gratia Domini Jesu Christi et charitas*

Dei Patris etc.» Maronitica tandem: «*Pax Dei Patris omnipotentis et salutatio Filii, qui cuncta regit cum pace et communicatione Spiritus sancti, qui cuncta sanctificat et expiat, sit nobiscum et inter nos etc.*»

Post salutationem in Testamento præmittitur orationi eucharisticæ tamquam prooemium sic dicta præfatio consistens in tribus hisce concitationibus: «*Sursum sint corda vestra;* respondet populus: *Habemus ad Dominum.* Episcopus: *Gratias agamus Domino;* populus: *Dignum et justum est.* Episcopus: *Sancta*(¹) *per sanctos;* populus: *In cœlis et in terra indesinenter.*»

Liturgiæ romana,(²) alexandrina, abyssina et byzantina primas duas harum concitationum formulas conservarunt. Liturgia Const. apost. habet: «*Sursum mentem*», cui conformantur liturgia armena et chaldaica, quæ ultima adhibet formam pluralem: «*Sursum mentes*», et in responso populi: «(Habemus) *apud te, Deus Abrahæ, Isaac et Jacobi*», quod responsum exstat etiam in genuina liturgia maronitica. Liturgia syriaca S. Jacobi formulam Testamenti cum formula Const. apost. conjungens habet: «*Sursum mentes et corda.*» Eadem verba occurrunt in liturgia maronitica.

Notanda est anomalia liturgiæ armenæ, in qua duæ prædictæ concitationes «*Sursum corda*» et «*Gratias agamus*», non a celebrante, sed a diacono proferuntur. Similes tamen proclamationes fiunt a diacono in liturgia Testamenti.

Tertia vero concitatio *Sancta per sanctos* in nulla ex liturgiis reperitur, utpote quæ illam suppresserunt per introductum hymnum triumphalem doxologicum (*Sanctus*) in orationem eucharisticam. Quæ introductio multo ante quartum sæculum facta est, uti facile deducitur

---

(¹) *Sancta per sanctos* significat Deus proclamandus est *Sanctus a sanctis* i. e. a fidelibus.

(²) Pro usu illorum verborum: *Sursum corda* in liturgia romana exstat testimonium S. Cypriani (De Domini oratione 31). «*Adeo et sacerdos*, ait, *ante orationem, præfatione præmissa, parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda, ut, dum respondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur* etc.».

ex iis, quæ S. Athanasius alexandrinus, scribit: «*Ecclesiæ autem Christi omnes ab oriente usque ad occidentem convenienter Patrem a Seraphim laudari profitentur in ministeriorum relatione.*» (De Trinitate et Spiritu sancto). Non potuisset profecto Athanasius ad hujusmodi usum tamquam universalis ecclesiæ provocare, nisi jam ante ipsum longo temporis spatio is usus obtinuisset. Non est autem difficile indicare, quomodo ex memorata concitatione olim efformata sit collaudatoria formula, quæ in oratione eucharistica continetur cum suo hymno. Sane illa verba «*Sancta per sanctos*» nihil aliud significant, nisi quod a *sanctis* i. e. fidelibus Deus proclamandus est *sanctus*. Cui invitationi fideles respondent: «Tum in cœlis tum in terris indesinenter Deus dicendus est sanctus.» Qui obvius sensus præbuit occasionem concinnandæ dictæ collaudationis, in qua, pro illis verbis *in cœlis*, enumerantur chori angelorum collaudantes Deum; pro *in terris*, cœlestibus choris consociantur fideles; *indesinenter* denique, per illa verba *sine fine* dicentes, exprimitur.

Præterea notandum est, eandem istam concitationem, post introductum hymnum triumphalem angelorum, in omnibus orientalibus liturgiis, fuisse cum levi quadam mutatione translatam *ante communionem*, ubi celebrans elevando mysteria clamat: *Sancta sanctis*. Insuper, quod attentione dignum est, ex proclamatione, quæ in liturgia Testamenti *ante communionem* emittitur,(1) in omnibus liturgiis, excepta liturgia Constitutionum, fuerunt hymno angelorum adjecta illa verba: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.*

7. *Oratio eucharistica.*

Jam in Prolegomenis (pag. XII) diximus ecclesiam æthiopicam inter diversas sibi proprias liturgias recensere hanc Testamenti orationem eucharisticam sub titulo «*Oratio eucharistica Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi.*» Quæ quidem cum nostra plerumque concordat, si

(1) Vide infra «Ante communionem», pag. 195.

quædam excipias, vel male translata vel etiam interpolata, nec non quasdam recentiores formulas ei additas.

Canones ecclesiastici ex hac oratione excerpserunt liturgiam, quam ad consecrationem episcopi exhibent.

Insuper liturgia *Duodecim apostolorum*, quam adhibet ecclesia æthiopica, non pauca ex oratione eucharistica, de qua sermo, deprompsit.

Tandem in ipsa liturgia S. Jacobi, lib. VIII Const. apost., occurrunt plurimæ sententiæ desumptæ ex laudata oratione eucharistica.(1)

Hisce prænotatis, juvat ex Testamento aliquanto fusius hic exponere eucharisticam orationem, quæ liturgiam proprie dictam constituit, et ad quam alludit S. Justinus in sua citata apologia (1,67), ubi scribit: «Ei qui præest, offertur panis et poculum aquæ et vini, quibus ille acceptis, laudem et gloriam universorum Patri per nomen Filii et Spiritus sancti emittit et gratiarum actionem pro eo, quod nos hisce dignatus est, prolixe exequitur, atque ubi perfecit preces et gratiarum actionem, populus, qui adest, omnis acclamat: Amen».

Animadvertendum autem Testamenti orationem eucharisticam, quæ ad Patrem dirigitur, quamvis sit una, plurimis constare partibus, quæ sibi sine ulla intermissione succedunt. Hæc est ibidem rerum series:

Ut ipsa denominatio indicat, eucharistica oratio 1°. exorditur a gratiis agendis Deo, propter voluntatem salvandi nos per Filium, qui variis invocatur titulis, rogaturque, ut nobis Deum collaudandi gratiam concedat. — 2°. Extollitur Dominus Deus, upote qui sit excelsorum conditor, cunctorumque rector et provisor per Filium, per quem omnia fecerat. — 3°. Commemoratur præsertim Patris beneplacitum in mittendo Filio, ut humanam carnem adsumeret, et ut per suam passionem humanum genus redimeret. — 4°. Deinde transitus fit ad repetendam institutionem eucharistici sacrificii ipsis Christi Domini verbis. — 5°. Sequitur

---

(1) Cf. proleg. cap. IV B pag. XXXII nota 2 a.

anamnesis. — 6°. Anamnesi subjungitur epiclesis. — 7°. Præsente sacrificio funduntur orationes, in quibus agitur memoria tum vivorum, tum mortuorum. — 8°. Concluditur oratio eucharistica petendo a Deo, ut suscepturi sacra ipsi uniantur, illumque collaudent. Quibus respondet populus: Amen.

De singulis pauca. — 1. Sic celebrans, gratias agens, Patrem alloquitur: «*Gratias agimus tibi, sancte Deus . . . Pater Unigeniti Filii tui, Salvatoris nostri, quem ultimis temporibus misisti ad nos Salvatorem* etc. etc.» Notandum, liturgiam Canonum ecclesiasticorum ex hac excerptam ita exhibere initium orationis eucharisticæ: «*Gratias agimus tibi, Domine, per dilectum Filium tuum Jesum Christum, quem in ultimis diebus misisti ad nos etc.*» Quare præcitata verba nostræ orationis eucharisticæ videntur juxta hanc corrigenda, eo vel magis, quod ei suffragatur etiam S. Justini testimonium.

Quamvis oratio eucharistica dirigatur ad Patrem, hic tamen fit brevis digressio ad Filium, qui sic invocatur: *Tu virtus Patris, gratia gentium, sapientia vera, sanatio animarum, exaltatio humilium . . . Ex munificentia tua exoriri fac super nos confidentiam, magnanimitatem . . . . ut nos famuli tui cunctusque populus te pure collaudemus* etc.

2. Deus extollitur primo ut creator cœli et cœlestium spirituum, deinde ut gubernator et rector omnium quæ creavit per Filium hisce verbis: «*Tu, Domine, fundator excelsorum, rex thesaurorum lucis, inspector Sion cælestis, rex ordinum archangelorum, dominationum, gloriarum, thronorum, amictuum etc., qui cuncta manu tua comprehendis et regis per Filium . . . per quem omnia fecisti.*»

3. Prolixe celebratur Patris bonitas ob beneficium incarnationis et redemptionis hisce verbis: «*Tu, Domine, Verbum tuum . . . cum in ipso tibi complacueris, misisti in uterum virginalem, qui conceptus atque incarnatus, Filius tuus apparuit. . . . Qui voluntatem tuam implens et*

populum sanctum præparans, expandit manus suas ad passionem, ut solveret a passione ... reponentes spem in te etc.»

4. Hinc fit transitus ad institutionem eucharisticam. Sic enim de Filio incarnato subditur: «*Accipiens panem dedit discipulis suis dicens: accipite, manducate, hoc est meum corpus, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Hoc quotiescumque facietis, meam resurrectionem facietis. Similiter calicem vini, quem miscuit dicens: Hic*(1) *est sanguis meus qui effunditur pro vobis.*»

Notandum est hic mandatum Domini de facienda memoria ipsius resurrectionis adnecti consecrationi panis, uti exstat apud Lucam XXII, 19, quod a ceteris liturgiis ad finem utriusque consecrationis fuit(2) adjectum.

5. In *anamnesi*, quæ dirigitur ad Filium post commemorationem ipsius mortis et resurrectionis, offert celebrans sacrificium ad gratias agendas de munere sacerdotali collato.

6. *Epiclesis* dirigitur ad sanctissimam Trinitatem hisce verbis: «*Tibi offerimus hanc gratiarum actionem* (i. e. eucharisticam) *æterna Trinitas, Domine Jesu Christe, Domine Pater ..... Domine Spiritus sancte. Adfer hunc potum et hanc escam sanctitatis tuæ, fac, ut sint nobis non in judicium, neque in ignominiam vel in perditionem, sed in sanationem et in robur spiritus nostri.*» Quæ quidem formula epiclesis videtur solvere controversiam illam vehementer inter theologos agitatam ad explicanda verba, quæ occurrunt post consecrationem in liturgiis orientalibus, quibus invocatur Pater, ut emittat Spiritum suum: «*Ut manifestum faciat panem esse corpus Christi, et calicem esse sanguinem Christi*» (liturgia Const. apost.) vel «*ut efficiat panem quidem corpus*

---

(1) Sic corrigendus est erroneus textus syriacus ex liturgia Canonum ecclesiasticorum, quæ ex nostra eucharistica oratione hausta est.

(2) In 1 Corinth. XI, 24 seqq. dictum mandatum adnectitur tum consecrationi panis, tum consecrationi calicis.

Christi, et mixtum, quod est in calice, sanguinem Christi» (liturgia S. Jacobi græca et syriaca). Epiclesis autem Testamenti petit, ut eucharistia producat effectus salutares in iis, qui ejus fiunt participes. Neque omittendum est nostram epiclesim, quæ dirigitur ad Trinitatem, fuisse deinceps conversam in illam formam, qua oratur Pater, ut mittat Spiritum sanctum, cui juxta expressiones theologicas decursu temporis inductas tribuitur non solum sanctificatio hominum, sed etiam sacramentorum operatio.

7. Succedunt intercessiones seu commemorationes, quarum prima fit pro communi cœtu fidelium sequentibus verbis: «*Concede, Deus, ut per Verbum tuum confugiat quævis cogitatio rerum, quæ tibi minime placent, depellatur a nobis omne consilium superbum, per illud nomen tuum, quod est inscriptum intra velum aditus sacrariorum tuorum excelsorum quodque cum auditur, infernus obstupescit etc.*». Deinde specialiter interceditur pro habentibus charismata[1]. Tandem oratur pro constitutis in necessitatibus, et præsertim pro viduis et orphanis.

Post supplicationes pro vivis sequitur commemoratio defunctorum, quæ complectitur tum communes defunctos tum etiam sanctos. «*Memento*, sic subjungit celebrans, *qui in fide obdormierunt, et da nobis cum sanctis tuis hæreditatem etc.*»

Dum celebrans dictas commemorationes peragit, diaconus, uti alio loco adnotat auctor Testamenti, vel lector nomina offerentium oblationes proclamat et invitat populum, ut orent pro illis. Exinde origo diptychorum.

8. Tandem commemorationibus subnectitur sequens supplicatio ad Deum, qua concluditur oratio eucharistica: «*Concede, Deus, ut tibi uniantur omnes, qui communicabunt et sumpturi sunt ex sacris tuis, ut impleantur Spiritu sancto ad confirmationem fidei in veritate, ut*

---

(1) Vide Prolegomena pag. XLVII seq.

tibi referant omni tempore doxologiam et Filio tuo dilecto . . . . . per quem etc.»: et conclamat populus: *Amen.*

Postquam populus orationem eucharisticam ratificavit dicendo, *Amen*, proclamat immediate diaconus: «*Sollicite supplicemus Dominum et Deum nostrum, ut nobis concedat mentem concordem spiritus.*» Episcopus subjungens orat: «*Da nobis (Deus) mentem concordem per Spiritum sanctum, et sana animas nostras per oblationem istam, ut in te vivamus per omnia sæcula sæculorum*».

Modo cum exposita per partes oratione eucharistica ex Testamento conferenda est eadem oratio prouti continetur tum in l. VIII Const. apost., tum in ceteris universæ ecclesiæ liturgiis.

Antea autem observandum est, uti supra innuimus, tum in liturgia Const. apost., tum in reliquis seriem beneficiorum Dei, pro quibus ipsi gratiæ aguntur, interrumpi, non eodem tamen loco, per insertionem hymni doxologici *Sanctus*, quem inducuntur spiritus cœlestes Deo concinere.

Porro quoad dispositionem partium, quibus componitur oratio eucharistica, prædictæ liturgiæ comparandæ cum nostra, commode possunt dividi in *quatuor* classes.

Ad *primam* classem pertinent liturgia l. VIII c. 12 Const. apost., liturgia S. Jacobi adhibita in ecclesia syriaca, liturgiæ S. Basilii et S. Joannis Chrysostomi, quibus utitur ecclesia byzantina et liturgia armena.

In *secunda* classe recensendæ sunt liturgia ecclesiæ chaldaicæ et liturgia propria Maronitarum. Sciendum enim est minime esse rectum, quod rerum liturgicarum scriptores, alii alios inconsulto exscribentes, solent affirmare, Maronitas nempe in celebratione missæ eundem fere ritum sequi ac Syri. Illud quidem verum est Maronitas circa sæc. XIV a Syris liturgiam s. Jacobi aliasque mutuatos esse: sed eorundem vetustiores codices testantur ipsis propriam esse liturgiam, quam dicunt

S. *Petri* vel *Duodecim* apostolorum, cujus norma divergit a liturgiis Syrorum, et propius accedit ad liturgiam chaldaicam, cum qua habet communem originem. Genuina liturgia Maronitarum exstat in *Missali chaldaico ad usum ecclesiæ Maronitarum* impresso Romæ an. 1594 pag. 220.

Tertia classis complectitur liturgiam S. Marci seu S. Cyrilli alexandrinam, quam adhibent Copti, et liturgiam æthiopicam.

Prope hanc collocamus liturgiam romanam, quæ constituit *quartam* classem, quia ordinem sequitur alexandrinæ liturgiæ simillimum.

Jamvero in liturgiis *primæ* classis oratio eucharistica exorditur ab illis verbis: «*Vere dignum et justum est te laudare* etc.», habetque partes dispositas eodem ordine, quo in liturgia Testamenti.

Speciatim autem notamus liturgiam Constitutionum celebrare initio orationis eucharisticæ attributa Dei *in se*, singillatim vero ac fusius exponere creationem sex dierum. Eadem ad extollendam divinam providentiam erga homines, enumerat distincte beneficia ipsis collata et miracula in eorundem gratiam perpetrata per patriarchas, inde ab Adam usque ad Josue. Quæ quidem satis prolixa recensio operum creationis ac prodigiorum catechetica magis videtur esse quam eucharistica.

Huic valde conformis est oratio eucharistica in liturgia S. Basilii, in qua copiosius etiam efferuntur attributa Dei ad intra, insistiturque præcipue in exponenda salutari dispensatione Verbi incarnati in mundo.

Notandum præterea in liturgia byzantina S. Joannis Chrys. post verba institutionis, deesse mandatum Domini: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ quidem lacuna minime est originalis, cum liturgia armena, quæ ex byzantina prodiit, illud dominicum mandatum habeat.

Aliud etiam in eadem liturgia byzantina discrimen est, quod in *intercessionibus* memoria præponatur defunctorum commemorationi vivorum. Liturgia armena hoc quoque loco servavit pristinum ordinem vivos ante commemorandi, deinde mortuos.

Imo ipsa liturgia C. A. aliquam anomaliam præ se fert in com-

memorationibus, sive quum patriarchas, prophetas et apostolos in commemoratione vivorum inserit, sive quum omittit commemorationem *defunctorum.*

Ultimo loco addimus in liturgia S. Jacobi apud Syros supplicationes de vivis et de mortuis, quæ sunt sex, jam ab antiquissimo tempore interpolatas fuisse per interjectionem totidem orationum elata voce a celebrante recitandarum ad singulas commemorationes, uti jam Lazarus Bar-Sabtha initio sæculi IX observavit.(¹)

In liturgiis *secundæ* classis notamus orationem eucharisticam incipere: «*Dignum est laude... nomen adorabile et gloriosum Trinitatis* etc.», atque ibidem breviter tantum commemorari beneficia creationis, incarnationis et redemptionis. Liturgia tamen chaldaica, cujus fragmentum ex cod. add. 14669 Mus. Brit. sæc. VI edidit Dr. G. Bickell (in conspectu rei Syrorum litterariæ. Münster an. 1871 pag. 71—73) fuse celebrat tum attributa Dei, tum creationem, incarnationem et dispensationem.

Nota autem characteristica liturgiarum istius classis in eo est, quod intercessiones seu commemorationes vivorum et mortuorum *anamnesim* inter et *epiclesim* collocantur.

Hic autem obiter animadvertendum est ex liturgia maronitica,

(¹) Exstat fragmentum hujus auctoris opusculi de missa, initio tamen mutilum in cod. syr. Mus. Brit. add. 17218 fol. 85 rect. Hæc sunt verba Lazari:

ܨܠܘ̈ܬܐ ܕܝܢ ܬܘܒ. ܗܢܝܢ ܬܘܪ̈ܣܝܬܐ ܒܠܗܘܢ ܕܥܘ̈ܗܕܢܐ ܒܝܢܬ ܗܠܝܢ
ܕܬܘܪ̈ܓܡܬܐ. ܡܢ ܗܘ ܕܡܟܪܙܐ (ܡܫܡܫܢܐ) ܠܡܬܐܡܪܘ ܘܦܩܐ ܠܗ ܡܪܝܐ ܡܢ
ܥܠܘܗܝ ܫܡܫܐ ܘܥܕ̄ ܒܕܝܢܐ ܠܡܢܬܐ ܕܢܦܠܬܐ ܗܘ ܐܡܪܝܢܬܐ ܕܐܡܪܝܢܐ:
ܐܦܠܐ ܓܝܪ ܐܝܬ ܕܠܐ ܡܪܥܝܢܘܬܐ ܘܥܕ̄ ܐܦ ܗܢܘܢ ܒܠܚܘܕܝܗܘܢ ܠܗ̇
ܠܡܥܕܪܢܘܬܐ ܕܡܬܒܥܝܢܐ ܩܕܡ. ܘܐܡܝܢܕܐ ܒܗܘ ܘܗܘܢ ܡܢܝܢܐ ܘܐܦ
ܕܟܠܗܝܢ ܐܝܬ ܘܡܬܚܪ̈ܬܐ.

«Preces, quas elata voce recitat celebrans post singulas commemorationes, ab illa cujus exordium est: *Libera nos Domine ab omni angore*, usque ad ultimam, cujus initium: *Non enim reperitur sine reprehensione* etc. interrumpunt seriem commemorationum, uti evidens est, et proinde adventitiæ sunt et superfluæ.»

quæ cum chaldaica omnino convenit et ex communi fonte cum illa derivatur, facile agnosci posse locum verborum *institutionis* in liturgia chaldaica, a qua jampridem ob Nestorianorum incuriam exciderant, eademque verba ex illa in istam posse restitui.(1)

Quod ad liturgias *tertiæ* classis pertinet jam Jacobus Edessenus(2) († 708) in epistola *de liturgia missæ* notaverat liturgiam alexandrinam (cum qua computanda est æthiopica) in hoc a ceteris liturgiis differre, quod in ea peraguntur antea commemorationes vivorum et mortuorum, deinde ea sequuntur, quæ spectant ad incarnationem et institutionem eucharistiæ etc. Commemorationes igitur in liturgiis hujusce classis locum occupant initio orationis eucharisticæ, *ante* tamen hymnum doxologicum (*Sanctus*) et proinde oratio eucharistica absolvitur statim post *epiclesim*.

Hoc discrimine excepto, liturgia alexandrina magnopere convenit cum illa S. Jacobi, imo magna pars orationis eucharisticæ eadem est in utraque.(3)

---

(1) Habet liturgia maronitica hoc sibi proprium, quod pars continens verba institutionis dirigatur ad Filium hoc modo: «Memoriam facimus tuæ passionis, cum in nocte qua tradebaris accepisti panem, adspexisti in cœlum, benedixisti, sanctificasti, fregisti et dedisti dicens: hoc est corpus meum quod pro vita mundi frangitur, accipite, comedite ex ipso, eritque vobis in vitam æternam».
ܥܒܕܝܢ ܕܘܟܪܢܗ ܕܚܫ̈ܝܟ. ܕܒܗ ܠܠܝܐ ܕܒܗ ܡܫܬܠܡ ܗܘܝܬ ܫܩܠܬ
ܠܚܡܐ ܘܚܪܬ ܠܫܡܝܐ ܘܒܪܟܬ ܘܩܕܫܬ ܘܩܨܝܬ ܘܝܗܒܬ ܘܐܡܪܬ ܕܗܢܘ
ܦܓܪܝ ܕܚܠܦ ܚܝܘ̈ܗܝ ܕܥܠܡܐ ܡܬܩܨܐ. ܣܒܘ ܐܟܘܠܘ ܡܢܗ. ܘܢܗܘܐ
ܠܟܘܢ ܠܚ̈ܝܐ ܕܠܥܠܡ ܀

(2) Genuina epistola Jacobi Edesseni de antiquo ritu missæ habetur in plurimis codicibus. Illa quam edidit S. J. Assemani (Bib. Or. II pag. 479—486) desumpta est ex opere Bar-Salibi, ubi exstat mixta verbis ipsius Bar-Salibi. Verba de nota characteristica liturgiæ alexandrinæ exstant etiam in cod. Mus. Brit. add. 14496 fol. I v. ܐܒܗ̈ܬܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪ̈ܝܐ ܐܚܪܢܝܬ ܐܫܠܡܘ. ܥܠ ܗܠܝܢ ܬܪܝܢ ܛܟ̈ܣܐ ܕܝܢ ܦܩܕܘ ܕܢܬܓܡܠ ܩܕܡܝܬ ܠܛܟܣܐ ܗܢܐ ܕܥܘܗܕܢ̈ܐ. ܘܒܬܪܟܢ ܠܛܟܣܐ ܗܘ «Patres alexandrini aliter tradiderunt de hisce duobus ordinibus, ܕܩܘܪܒܐ ܩܕܝܫܐ. statuerunt nempe, ut primo perficeretur hic ordo commemorationum, et deinde ordo oblationis sacræ».

(3) Mirum profecto est Renaudotium omnesque alios etiam recentiores, qui

Reliquum est, ut orationem eucharisticam liturgiæ romanæ conferamus cum illa Testamenti.

Jamvero liquet ex testimonio S. Augustini([1]) in epist. 149 ad Paulinum episcopum (Migne P.L.T. XXXIII col. 636) vel ab antiquissimo tempore in liturgia latina seu romana commemorationes peractas fuisse *ante benedictionem et consecrationem.* Differt tamen prædicta liturgia romana ab alexandrina, cum qua ceterum multa similia habet, in hoc quod commemorationes in ipsa *succedant* hymno doxologico *(Sanctus)*, minime vero illum præcedant, ut in alexandrina.

Alia nota propria liturgiæ romanæ in eo sita est, quod præter commemorationes loco indicato, etiam post *epiclesim (Supra quæ propitio etc. supplices te rogamus)* fiant commemorationes defunctorum et sanctorum *(Memento etc. Nobis quoque)* eodem præcise loco, quo eædem fiunt in liturgia byzantina, nisi dicatur ejusmodi commemorationes minime ab initio exstitisse hoc loco in liturgia latina, uti videtur erui ex verbis citatis S. Augustini, eo vel magis quod in quibusdam vetustioribus codicibus, uti in sacramentario Gelasiano, *Memento defunctorum* in loco, de quo est sermo, desideratur. Idem præterea videtur deduci posse ex hoc, quod nulla sit ratio iterum agendi memoriam sanctorum, qui commemorati jam fuerint in supplicatione *(Communicantes)*, quæ præcedit institutionem.

Quidquid de hoc est, series partium orationis eucharisticæ in veneranda liturgia romana, cui vetustissima testimonia suffragan-

---

tantam navarunt operam in illustrandis liturgiis universæ ecclesiæ, minime animadvertisse identitatem liturgiæ S. Jacobi et S. Cyrilli in ea parte orationis eucharisticæ, quæ sequitur hymnum doxologicum.

([1]) Augustinus, agens de distinctione inter precationes et orationes, scribit: «Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat ecclesia, ut *precationes* accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici; *orationes* cum benedicitur et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis ecclesia dominica oratione concludit.»

tur[1], sequitur tum ceteras ecclesiæ liturgias, tum liturgiam Testamenti.

Sane in ea parte, quæ hodie apud latinos dicitur præfatio[2] *(Vere dignum est)*, quæque variatur pro varietate solemnitatum, aguntur Deo gratiæ de beneficiis præsertim ordinis supranaturalis, quæ tamen brevissime commemorantur. Deinde, uti dictum est, sequuntur commemorationes vivorum *(Te igitur)* et defunctorum *(Communicantes)*. Exinde transitus fit ad institutionem eucharistiæ *(Quam oblationem. Qui pridie)*. Hinc sequitur *anamnesis (Unde et memores)*, cui subjungitur epiclesis *(Supra quæ .... supplices)*.

8. *Ante communionem.*

Redeamus ad describendas reliquas partes liturgiæ Testamenti.

Inter adnexam orationi eucharisticæ hortationem diaconi cum analoga prece a celebrante recitanda, et communionem una tantum interponitur in liturgia documenti nostri oratio, ex variis invocationibus concinnata, quæ ita se habet. «Episcopus clamat: *Sit nomen Domini benedictum.* Populus: *Amen.* Episcopus: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, benedictum nomen gloriæ ejus.* Populus: *Fiat, fiat.* Episcopus: *Emitte gratiam tuam super nos*».

Liturgiæ vero tum C.A. tum aliæ, quas adhibent ecclesiæ, plures variasque preces et cerimonias inde a fine orationis eucharisticæ usque ad communionem interjiciunt, nec tamen inter se eædem liturgiæ hoc loco conveniunt.

Præstat hic breviter recensere ordinem singularum liturgiarum ad prædictum locum.

1. Exceptis liturgiis Chaldæorum et Maronitarum, omnes aliæ

(1) Vid. Duchesne, «Origines du culte chrétien» p. 168 seq.

(2) S. Cyprianus in loco supra cit. (pag. 184 in nota) adhibet vocem *præfatio* pro *concitationibus*, quæ præcedunt orationem eucharisticam.

post finem orationis eucharisticæ habent formulam impertiendæ benedictionis populo.

In Const. apost. et in liturgia alexandrina ea formula est: «*Pax vobis*»; in æthiopica: «*Emitte gratiam Spiritus sancti super nos*» (¹); in byzantina et armena: «*Sint miserationes Dei magni et Salvatoris nostri Jesu Christi super vos omnes*»; in liturgia S. Jacobi habentur simul formula C.A.: «*Pax vobis*» et formula byzantina: «*Sint miserationes* etc.».

2. In liturgia chaldaica et maronitica post orationem eucharisticam, in omnibus autem aliis, exceptis liturgiis C. A., byzantina et armena, post impertitam benedictionem, locum habet ritus consignationis sacri corporis cum pretioso sanguine, qui ritus a liturgiis byzantina et armena perficitur post elevationem. Liturgia autem byzantina hoc habet sibi proprium, quod in perficiendo ritu consignationis infundit aquam calidam in calicem.

3. In liturgiis Const. apost., byzantina et armena post impertitam benedictionem recitantur a diacono *litaniæ catholicæ*, quæ quidem litaniæ prædicantur quoque in liturgia Syrorum, dum celebrans perficit ritum consignationis.

4. In omnibus liturgiis, excepta sola liturgia Const. ap., sequitur immediate post impertitam benedictionem et consignationem (vel litanias) *oratio dominica* (²) cum præcedente præfatione et subsequente conclusione. Deinde, fidelibus, admonente diacono, inclinantibus capita, recitatur a celebrante oratio, quæ dicitur *impositionis manus*.

5. Post hanc orationem in omnibus liturgiis orientalibus, haud excepta illa Const. ap., elevantur sacra in altum, dum interim proclamat

---

(¹) Hæc formula ex liturgia Testamenti desumpta fuit.

(²) Exstant de usu recitandæ orationis dominicæ in celebratione missæ testimonia S. Cyrilli Hierosol. (Catech. XXV 11—18); S. Hieronymi (contra Pelag. VIII, 15; in Math. XXVI, 41); S. Joannis Chrys. (in Gen. XXVII, 8).

celebrans: «*Sancta sanctis*», respondetque populus: «*Unus sanctus, unus Christus* etc.», uti habet liturgia C. A., vel «*unus Pater sanctus, unus Filius sanctus* etc.». In continuatione autem hujus responsi populi exstant in C. A. et in quibusdam vetustioribus codicibus liturgiæ syriacæ S. Jacobi illa verba deprompta ex Testamento: «*Benedictus, qui venit in nomine Domini*», quæ in aliis etiam liturgiis paulo post proferuntur.

6. Quod spectat ad liturgiam romanam, notandum est antequam *oratio dominica* cum præfatione et clausula ei adnexis ad locum, quem hodie occupat, fuerit a S. Gregorio M. translata, immediate post orationem eucharisticam, quæ desinit in illa verba: *Per ipsum et cum ipso* etc., cum ecphonesi *per omnia sæcula* etc., secutam fuisse, ad instar liturgiæ alexandrinæ, formulam: «*Pax Domini sit semper vobiscum*». Ad hæc verba perficitur ritus *commixtionis*, qui respondet ritui *consignationis* in eadem liturgia alexandrina.

Differt autem liturgia romana a liturgiis orientalibus, quod in illa hoc loco clerus et fideles sibi invicem dant pacem, cum in præfatis liturgiis osculum pacis præmittatur præfationi(¹). Animadvertendum est autem a Sergio Papa (687—701) insertam fuisse formulam: *Agnus Dei* etc. inter commixtionem et orationem pacis: «*Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis etc.*».

Alia differentia inter liturgiam romanam et anaphoras orientales est, quod in illa desint ante communionem tum oratio *impositionis manus*, tum formula: *Sancta sanctis*.

9. *Communio.*

Auctor Testamenti accurate indicat ordinem, quo clerus fidelesque participare seu communicare debent. Primo sumit episcopus, dein presbyteri, porro diaconi, tum viduæ canonicæ, mox lectores, postea hypodiaconi, denique habentes charismata, tandem pueri et neobaptizati;

(¹) Vide supra pag. 181.

sequuntur provectiores ætate viri, tum cœlibes deinde ceteri; ex mulieribus autem primo diaconissæ, deinde ceteræ. A quo ordine differt paulisper ille, qui recensetur in lib. VIII Cons. ap.

Quoad ministrum distributionis sacrorum mysteriorum, nempe tum corporis tum sanguinis, consonat auctor noster cum S. Justino (apol. 1, 65), tradens illud munus ad diaconum pertinere. Hæc enim occurrit adnotatio in lib. II. c. X: «*Diaconus communionem non præbeat presbytero, sed discooperiat discum sive pyxidem, et ex ea ipse presbyter sumat. Cœtui autem diaconus communionem manu sua præbeat*». Quæ disciplina non diu post fuit immutata in illam, quam C. A. exhibent, quæque ubique obtinuit, ut nimirum episcopus (quem adjuvant presbyteri) distribuat communionem sub specie panis, et diaconus porrigat calicem.

Testamentum adsignat formulam a diacono proferendam in distributione corporis hæc verba: «*Corpus Jesu Christi, Spiritus* (1) *sanctus ad sanationem animæ et corporis*». Ad quæ recipiens respondet: *Amen*. Desideratur tamen in nostro documento formula proferenda in porrectione calicis, quæ certe præcedenti similis esse debuit.

In liturgia C. A., in distribuendo corpore, dicit episcopus: «*Corpus Christi*», et in porrigendo calice dicit diaconus: «*Sanguis Christi, calix vitæ*», et ad utrumque respondet suscipiens: *Amen*. Eædem formulæ vel paulo ampliores occurrunt in reliquis liturgiis.

Præterea in Testamento cuique fideli ante edendam sacram particulam assignatur dicenda oratio, quæ sic incipit: «*Sancta, sancta, sancta Trinitas .... da ut sumam hoc corpus ad vitam*, etc.», et ante bibendum calicem præscribitur ipsi, ut dicat: «*Ad plenitudinem corporis et sanguinis*».

Præter liturgiam æthiopicam, quæ habet insertam ad hunc locum prædictam orationem: «Sancta .... Trinitas», ceteræ liturgiæ nihil amplius quam *Amen* a suscipiente dicendum præscribunt.

---

(1) Vide supra in Proleg. cap. VI.

Notandum tandem in liturgia, quam describimus, non assignari neque psalmum recitandum durante distributione communionis, uti notatur in C. A., neque cum psalmo hymnum(¹) canendum, uti mos est fere omnium liturgiarum.

10. *Postcommunio.*

Suscepta sacra communione, proclamat juxta documentum nostrum diaconus: «*Gratias agamus Domino, postquam ex sacris ejus sumpsimus* etc.». Cui subjungitur oratio analoga, quam recitat episcopus quaque absolvitur tota liturgia.

C. A. et ceteræ liturgiæ orientales præter similem proclamationem diaconi et formulam gratiarum actionis a celebrante proferendam, addunt tum orationem impositionis manus, tum intimationem diaconi de discedendo. In liturgia autem romana post communionem una tantum recitatur oratio a sacerdote, et absque impositione manus(²), dimittuntur adstantes ad proclamationem diaconi: «*Ite, missa est*».

DISSERTATIO IV.

De diebus liturgicis et de festis.

Testamentum episcopum recens institutum admonet missæ liturgiam esse celebrandam sabbato, die dominica et diebus jejunii. Alibi et nominatim, ubi agit de concione *mystagogica* ad solos fideles habenda

(¹) Liturgia Const. apost. assignat recitandum durante communione psalmum 33. De quo usu exstant etiam testimonia Cyrilli Hierosol. (Catech. XXX, 20); S. Hieronymi (in Isai. V, 20) et S. Joannis Chrysost. (in psalm. CXLIV). S. Ephræm vero in hymno, qui canitur tono ܬܠܬ ܡܠܟܐ in officio sacerdotum defunctorum, testatur ad communionem decantari hymnum, dum ait: «Cum populus suscipit corpus Filii, in omnibus ejus festis, prædicant ad invicem: *Pignus vitæ ecce distribuitur*». ܟܕ ܕܢܣܒ ܠܗ ܥܡܐ ܠܦܓܪܗ ܕܒܪܐ ܒܟܠܗܘܢ ܥܐܕܘܗܝ، ܡܟܪܙܝܢ ܡܫܘܬܐܝܬ ܚܕ ܠܚܕ ܕܪܗܒܘܢܐ ܕܚܝܐ ܗܐ ܡܬܦܠܓ. Quæ quidem verba hodie etiam penes Syros reperiuntur in hymno, qui canitur a choro tempore communionis.

(²) In quadragesima habetur in ritu romano oratio impositionis manuum.

ante oblationem sacrificii eucharistici, commemorat præter *sabbatum* et *dominicam* etiam *epiphaniam*, *pascham*(¹) *et pentecosten* tamquam dies solemnes et liturgicos.

De die quidem dominica nota sunt testimonia tum sacrarum litterarum, tum scriptorum primi et secundi sæculi(²).

Quod attinet ad sabbatum, habetur ex documento nostro primum clarum testimonium de celebratione liturgiæ etiam illa die, in gratiam, ut videtur, Judæorum ad christianam religionem accedentium, quod ipsa apostolorum agendi ratio quodammodo innuit. (Cf. Act. XIII, 14).

De diebus vero jejuniis liturgicis dicetur infra, ubi de jejuniis in genere agemus. Modo pauca proferenda sunt de præfatis diebus festis, quos solos commemorat præscribitque Testamentum.

1. *De epiphania.*

Pascha quidem et pentecostes in diem dominicam cadunt. Epiphaniæ autem dies hic non designatur. Notandum est porro, præter auctorem nostrum, primo apud veteres mentionem *epiphaniæ* occurrere in actis martyrii S. Philippi episcopi heracleensis (Ruinart c. 2). Clemens autem alexandrinus (Stromat. I, 887, 888), agens de tempore determinando Domini incarnationis, passionis et dispensationis, refert hæreticos sectatores Basilidis consuevisse, alios quidem inter ipsos die 6 Januarii, quosdam vero die 10 ejusdem mensis(³), memoriam *baptismi* Domini celebrare, totam noctem præcedentem transigentes in lectionibus. Minime autem liquet, utrum festum *epiphaniæ* seu *apparitionis* complecteretur tunc initio etiam memoriam *baptismi.*

(¹) Locus, in quo Testamentum statuit feria V hebdomades paschæ offerendum esse vespere panem et calicem obscurus est, videturque ibidem sermo non de oblatione sacrificii missæ, sed de oblatione panis et vini per modum agapes celebrandæ vespere, diacono accendente lucernam cum cantu psalmorum et lectionibus sacris verboque doctrinæ.

(²) I Corinth. XVI, 2; Act. XX, 7; Apoc. I, 10 — Doctrina apost. 14; Plin. epist. ad Traj. X, 97; Just. M. Apol. I, 67.

(³) Vid. Duchesne in suo lib. «Origines du culte chrétien» pag. 248.

2. *De pascha.*

Ubi *Didascalia* (c. 21) ad determinandam christianam *pascham* proponit pascham Judæorum tamquam normam, injungens, ut christiani jejunent diebus, quibus Judæi peragunt pascham, solvantque jejunium die dominica, auctor Testamenti ne verbum quidem profert de definienda die paschæ. Ex quo videtur deducendum, tempore et loco, quibus Testamentum ortum habuit, nullam exstitisse controversiam de determinatione diei paschæ.

Porro in nostro documento tota hebdomada, quæ festum paschæ præcedit, vocatur *hebdomada paschæ:* pascha autem proprie ibidem dicitur nox, quæ sequitur sabbatum.

Hæc autem occurrunt notanda de pascha:

1°. Conventus congregabatur die sabbati ad vesperas, producebaturque usque ad mediam noctem. Post laudes decantatas et ante liturgiam conferri debebat baptismus electis, uti *in dissertatione de baptismo* exponetur.

2°. Eucharistici sacrificii ea nocte oblati omnes sive præsentes, sive absentes debebant participes fieri suscipiendo sacram communionem. Ideoque initio liturgiæ episcopus per diaconum intimari jubebat *nemini fas esse aliquid degustare, donec sacrificium oblatum fuerit et universum corpus ecclesiæ novam escam* (i. e. eucharistiam) *susceperit.*

Quod attinet ad decumbentes, presbyter ad presbyteros, diaconus ad ceteros et diaconissa ad mulieres eucharisticam communionem deferebant.

3°. Ante liturgiam illa nocte distribuebantur *eulogiæ fractionis panis*, non solum catechumenis, uti expresse dicitur, sed probabiliter fidelibus quoque. Id enim videtur erui ex memorata superius intimatione, *ne quis fidelium ante susceptionem novæ escæ aliquid gustet*, utique quidem ex eulogiis ante inchoatam liturgiam ipsis distributis.

4°. Juxta documentum nostrum solemnitas paschæ terminanda erat media nocte, qua hora etiam jejunium solvendum erat. Hinc fideles

sese domum decenter conferre debebant, uxoribus sequentibus suos viros, puellisque matres.

Pernoctabant autem in ecclesia viduæ canonicæ, virgines, presbyteræ nec non recens baptizati, qui, curante episcopo diaconisque ministrantibus, ibidem cibum sumebant, vacabantque orationi post captam quietem.

Animadvertendum porro est ipso sæculo tertio jam invectos fuisse usus diversos quoad tempus celebrandæ resurrectionis Domini([1]), solvendique jejunium paschæ, quos commemorat Dionysius alexandrinus in sua epistola ad Basilidem. Sic enim scribit: *Eos, qui nimium festinant, et ante mediam noctem surgunt, ut contemptores et intemperantes reprehendimus .... Eos autem qui differunt ... et ad quartam usque vigiliam fortiter abstinent ... ut generosos et laborum tolerantes suscipimus. Iis autem, qui interea, ut moti sunt, vel ut potuerunt, quiescunt, non valde molesti sumus: quandoquidem nec sex jejuniorum dies æqualiter nec similiter omnes expectant, sed alii quidem vel omnes transmittunt jejuni permanentes, alii duos, alii tres, alii quatuor, alii nullum. Et iis quidem, qui in illis transmittendis valde laboraverunt ... ignoscendum est, quod celerius gustent. Si qui autem non modo non transmissis, sed ne jejunatis quidem, vel etiam in delicatis opiparisque conviviis consumptis præcedentibus quatuor diebus, ad duos eosque solos extremos dies cum venerint, illis a se cibo non gustato transmissis, parasceve et sabbato, magnum quid et egregium se facere existimant, si ad auroram usque permanserint, non existimo eos ex æquo certamen subiisse cum iis, qui pluribus diebus se exercuerint* (apud Pitra jur. eccles. Græc. monum. et histor. T. I. pag. 543 et seq.).

De jejunio hebdomadæ paschæ agetur infra: hic notasse sufficiat ex prolato testimonio clare innotescere inductum usum prolongandi jejunii

---

([1]) Didascalia præscribit (c. 21) solvendum paschæ jejunium *hora tertia noctis*; Canones vero ecclesiastici (c. 46), cum quibus in hoc conveniunt Constitutiones apost. (l. V, 18) statuunt celebrandam esse resurrectionis solemnitatem *hora gallicinii*.

paschæ causam fuisse, cur differretur cum solutione jejunii celebratio resurrectionis dominicæ.

3. *De pentecoste.*

Auctor noster usurpat nomen *pentecostes* tum ad significandum spatium quinquaginta dierum a paschate(1), tum ad diem ejusdem spatii ultimam indicandam.

Admonet porro Testamentum per totum illud tempus *nefas esse jejunare vel genua flectere*, subdens illos esse dies quietis et lætitiæ(2).

Non est interea prætermittendum nullam in documento nostro fieri mentionem festi ascensionis Domini in cœlum: ex quo inferre licet nondum introductum fuisse istud festum, quod monumenta quarti sæculi(3) commemorant.

---

(1) Hoc sensu occurrit mentio pentecostes apud Iren. quæst. ad orth. 115; apud Tertull. de idolatria 14, de baptismo 19, de cor. 3.

(2) Vid. Tertull. de cor. 3.

(3) S. Ephraem Syrus non semel commemorat festum ascensionis Domini. Sic in hymno (ܡܥܝܪܢܐ), qui canitur in officio nocturno festi ascensionis tono dicto *confessorum* (ܕܡܘܕܝܢܐ) ait: ܐܢ ܡܢ ܝܘܡܐ ܕܩܝܡܬܗ ܡܬܚܫܒܝܢ ܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ. ܒܚܡܫܐ ܒܫܒܐ ܐܣܬܠܩ. ܘܥܦ ܠܗ ܨܘܡܐ ܕܥܪܘܒܬܐ. ܕܙܩܝܦܘܬܗ ܘܕܣܘܠܩܗ. «*Si a die ipsius* (i. e. Domini) *resurrectionis numerentur quadraginta dies, ascensio illius contigit feria quinta, duplicatumque est jejunium parasceve tum ejus crucifixionis tum ascensionis*». Idem Doctor in alio hymno officii festi ascensionis, qui canitur tono: *Benedictus filius vivi* (ܒܪܝܟ ܒܪ ܚܝܐ), quique initio stropharum per *acrostichon* nomen s. auctoris inscriptum præsefert, ait: ܫܠܡܘ ܠܒܪܐ ܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ ܥܡ ܚܝܘܬܐ. ܨܡ ܘܐܬܢܣܝ. ܘܢܚܬ ܘܢܨܚ. ܘܫܠܡ ܠܗ ܠܚܬܢܐ ܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ. ܒܬܪ ܕܐܬܒܣܡ ܣܠܩ. ܨܘܡܐ ܗܘ ܗܟܢܐ. ܒܪܝܟ ܠܛܘܟܣܗ. «*Impleti sunt quadraginta dies a tempore quo Filius cum belluis* (degens) *jejunavit tentatusque fuit*, *indeque* (ex monte) *descendit triumphans: item quadraginta dies implentur Sponso*, *qui*, *postquam delectatus est* (super terram), *ascendit. Jejunium est itaque modo. Benedictus sit ordo*, *quem disposuit*». Præter festum ascensionis habemus ex prolatis testimoniis sæculo quarto jejunium fuisse observatum feria sexta post ascensionem. Quod sane conciliari nequit cum præscriptione non jejunandi per *totum pentecosten*. Dicendum videtur per institutionem festi ascensionis derogatum fuisse dictæ præscriptioni. Hæc est insuper forsan ratio, cur concilium Nicænum can. 20 decreverit quidem non esse genuflectendum, minime autem non esse jejunandum, per dies pentecostes.

26*

DISSERTATIO V.

De diebus jejunii.

Præter sabbatum, dominicam diesque festos, admonet Testamentum liturgiam esse celebrandam diebus jejunii, quos tamen non designat; neque indicat, qua hora illis diebus sit liturgia celebranda.

Porro aliunde constat vel ab exordio ecclesiæ jejunii dies fuisse ferias quartam et sextam[1] in singulis hebdomadis.

Constat præterea illis diebus jejunium fuisse solutum circa horam nonam[2], proindeque circa illam horam liturgiam fuisse prædictis diebus celebratam dicendum est.

Addit insuper Testamentum diebus jejunii vespere ab episcopo erudiendos[3] esse primo catechumenos, iisque dimissis, docendos deinde fideles mysteria.

Præter jejunium seu, ut alii illud vocant, semijejunium feriarum quartæ et sextæ, admonet auctor noster ab omnibus omnino observandum esse jejunium paschæ, consistens in duobus solis diebus ultimis prædictæ hebdomadis, transigendum sine ullo cibo ac potu usque ad mediam noctem, quæ sequitur sabbatum; monenturque fideles, ut illis duobus diebus noctu diuque in ecclesia commorentur vacantes orationibus attendentesque sacris lectionibus et concionibus.

Aegroto et gravidæ patienti conceditur in primo hujus jejunii die usus panis et aquæ tantum, minime vero in altero die.

Cum auctore Testamenti Justinus[4], Irenæus et Tertullianus testan-

---

(1) Doctrin. apost. 8; Tertull. de jejun. 2, 14.

(2) Tertull. de jejun. 13, 14; Clem. Alexand. Strom. VII, 12; Orig. hom. X in Lev. c. 2 etc.

(3) Socrates H. E. V, 22 refert memoratis feriis IV et VI usum fuisse in alexandrina ecclesia, ut ad vesperas recitarentur s. Scripturæ lectiones, quas doctores interpretabantur.

(4) Id deducitur ex iis quæ habet S. Justinus in Apolog. I, 61, ubi dicit cœtum fidelium jejunare cum baptizandis uno vel duobus diebus. Cum enim agatur de

tur ipsorum ætate paschæ jejunium constitisse duobus diebus vel uno die.

Sæculo tamen tertio invaluerunt diversi usus, quos Tertullianus appellat *innovationes*, quorumque meminit Dionysius alexandrinus in superius commemorata epistola ad Basilidem. Ait siquidem nonnullos præter jejunium absolutum duorum ultimorum dierum jejunasse etiam quatuor præcedentibus diebus, sumentes tamen ad horam nonam panem cum sale et aquam; alios illis extremis duobus diebus superaddere consuevisse quatuor præcedentes vel tres vel duos vel unum, quos continuo et absoluto jejunio observabant.

Quamvis idem Dionysius clare indicet nullam exstitisse strictam legem, quæ aliquid amplius quam jejunium absolutum duobus extremis diebus servandum injungeret, vituperio tamen dignos existimat eos, qui nonnisi illos duos dies observent.

Didascalia (c. 21) veluti legem præscribit observandum semi-jejunium a feria II hebdomadæ paschæ usque ad feriam V, et ut accommodet præfatæ præscriptioni, quod veteres affirmabant, jejunandum scilicet esse *diebus quibus ablatus est sponsus*, asserit censendum esse Christum fuisse ablatum a feria II, cum Judæi consilium inierint illa die ipsum tradendi.

Ultimo loco hic animadvertendum restat in nostro documento nullam fieri mentionem jejunii quadragesimalis, cum illa ætate nondum præfatum jejunium invectum in ecclesiam fuerit. Attamen ibidem, ubi sermo fit de præparandis *electis* ad baptismum sabbato paschæ conferendum, commemorantur dies *quadraginta paschæ*, in quibus cum catechumenis fideles quoque ecclesiam frequentare debebant.

---

baptismo solemni, quod ab omni retro antiquitate conferebatur nocte paschæ, procul dubio designatur ibidem jejunium paschæ, de quo facimus verbum.

DISSERTATIO VI.

De oratione privata et publica et de sacro conventu ad orationem persolvendam.

Orationibus ab episcopo et presbytero (quod et ad diaconum debet extendi), privatim quidem, sed in ecclesia persolvendis horas proprias recenset Testamentum sequentes:

1. Horam primam noctis (i. e ante cubitum); 2. mediam noctem; 3. horam primæ auroræ; 4. horam matutinam; 5. horam tertiam; 6. horam sextam; 7. horam nonam; 8. horam duodecimam; 9. horam demum accendendæ lucernæ (i. e. ad ingressum noctis).

Duo autem adnotat auctor:

1°. Optimum esse, si episcopus (quod et de reliquis dicendum est) sibi adsciscat in prædictis privatis orationibus persolvendis duos vel tres;

2°. Nullam omnino ex enumeratis horis ab ipso esse prætermittendam.

Laicis vero hæc ibidem præscribuntur: 1. Ut hora auroræ de lecto surgentes confestim orare satagant, antequam quodlibet opus adgrediantur; 2. ut hora tertia in ecclesia, vel domi, si nequeant ad ecclesiam se conferre, orare studeant; 3. item hora sexta; 4. item hora nona; 5. ut vespere quoque, hoc est initio diei sequentis, orent; 6. tandem media nocte.

Ex quibus colligitur, præter tres horas orationis i. e. tertiam, sextam et nonam, de quibus habentur testimonia tum s. Scripturæ (Act. II, 15; III, 1; X, 9, 30), tum vetustiorum scriptorum (Doctrina apostol. 8; Clem. Alexand. Strom. VII, 7, 40; Tertullian. de oratione c. 25, de jejunio c. 10), recenseri etiam pro laicis horam auroræ i. e. ad ingressum lucis, nec non vesperem i. e. ad ingressum noctis, quas etiam commemorat Tertullianus (l. c.). Oratio autem mediæ noctis commemoratur a Pseudo-Athanasio (de Virginit. 16,20).

Præ ceteris animadvertendum est Testamentum diserte declarare *castos*, nempe ascetas et perfectos, omnino teneri ad orandum cunctis enumeratis horis, nulla prætermissa, ceteris autem laicis non videtur auctor imponere talem obligationem quoad memoratum illarum horarum numerum.

Notandum quoque est in documento nostro non exhiberi formulas dictarum precum persolvendarum sive a clero sive a laicis; nihilominus videtur conjiciendum etiam in orationibus illis privatis fuisse psalmos recitatos, et si oranti duo vel tres jungerentur, psalmodiam alternatim fuisse ab illis peractam.

Hæc de oratione, quæ privata dici solet: quod attinet ad *publicam*, animadvertimus ex Testamento palam innotescere *conventum publicum et plenarium* ad laudes Deo canendas, cui præsidebat episcopus, adsistente universo cœtu sacerdotali, convenientibusque fidelibus cunctis, non quotidie, sed *solis diebus liturgicis*, *et semel in die tantum*, scilicet ad *auroram* convocatum fuisse, collaudationemque in illo perdurasse ab hora auroræ usque ad ortum solis. Quod sane concordat cum Plinio, qui in sua epistola ad Trajanum ait de christianis, *quod essent soliti solo stato die* nempe die dominica *ante lucem convenire*, *carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem.* (Inter epist. ad Trajan. 96).

Ex dictis proinde colligitur conventum publicum ab episcopo congregandum *ad orationem vespertinam*, quem describit lib. VIII. Constitutionum ap. (c. 32), esse recentioris institutionis.

Testamentum porro officium sacrum integrum exhibet celebrandum in antelucano illo conventu diebus liturgicis, quod quidem officium juvat paucis describere.

Exorditur episcopus ab invitando cœtu ad precem hisce verbis: *Collaudatio Domino*, cui populus respondet: *Dignum et justum est;* tum vero episcopus recitat elata voce tres sibi succedentes orationes, quibus celebrat laudes Filii Dei, eique pro collatis beneficiis gratias agit.

Populus et ad primam et ad alteram orationem conclamat: *Te laudamus, te benedicimus, tibi confitemur, Domine, teque, Deus noster, supplicamus*[1]; ad tertiam vero respondet: *Amen.*

His succedit psalmodia ex psalmis et canticis numero quatuor. Psalmi quidem a Testamento non indicantur, sed dicitur tantum canendum esse *canticum Moysis*, illud profecto, quod incipit *Canemus Domino* etc. (Exod. XV), et *canticum Salomonis*, nimirum, ut videtur, Psalmus LXXI: *Deus judicium tuum regi da* etc., qui in psalterio inscribitur Salomoni, et *canticum aliud ex aliis prophetis*, quod debet esse *canticum Isajæ* vel *Habacuc.*

Quoad psalmodiam notatur in Testamento psalmos alternatim a puerulis et duabus virginibus esse canendos, cantica item alternatim a tribus diaconis et tribus presbyteris. Non liquet tamen ex textu, utrum collective hinc tres presbyteri, illinc tres diaconi canerent omnia tria cantica, an vero singula hinc ab uno presbytero, illinc ab uno diacono psallerentur[2].

Absoluta psalmodia, episcopus salutat congregationem his verbis: *Gratia Domini sit vobiscum omnibus*, cui respondet populus: *Et cum spiritu tuo;* rursum episcopus: *Collaudemus Dominum nostrum*, populus: *Digne et juste;* episcopus: *Defixa sint corda vestra*, populus: *Habemus apud Dominum;* tum episcopus recitat tres preces laudatorias et supplicatorias, quarum et ad primam et ad alteram respondet populus: *Te laudamus, te benedicimus* etc. ad ultimam vero conclamat: *Amen*, atque ita oratio absolvitur, exoriente jam sole.

Porro sciendum est tertiam ex tribus orationibus, tum ante psalmodiam, tum post psalmodiam, continere supplices preces pro variis necessitatibus tum spiritualibus tum temporalibus, *pro pastore et pro*

(1) Hodie etiam ipsis his verbis populus apud Syros in liturgia conclamat post orationem celebrantis, quæ sequitur *anamnesim.*

(2) Cf. peregrinationem Silviæ edit. Gamurrini an 1887 pag. 76.

grege, pro orphanis, viduis, itinerantibus, in carcere detentis etc., easque præseferre formulas simillimas iis, quæ habentur in I epistola S. Clementis ad Corinthios (59—61).

Habes itaque in exhibita descriptione formam *divini officii*, quæ prisca illa ætate obtinebat.

Præter plenarium descriptum conventum celebrandum diebus liturgicis, statuit Testamentum singulis diebus etiam ad auroram, uti videtur, conventum habendum esse, cui singulis diebus unus presbyter præsit persolvatque officium coalescens ex salutatione: *Gratia Domini nostri sit vobiscum*, invitatione: *Laudate Dominum*, et tribus tantum orationibus, iis similibus, quæ in conventu plenario recitantur, quibusque populus eodem modo respondet ac supra, nulla facta mentione psalmodiæ.

Ad hæc adnectit Testamentum hanc adnotationem: *Hic si quis vult prophetica*(1) *verba proferre, proferat: habebit ille mercedem.*

Hujusmodi autem quotidianus conventus non est plenarius dicendus, tum propter absentiam episcopi cum adsistentia totius cœtus sacerdotalis, tum quia non fit mentio concursus universi populi ad illum.

Postremo subdit Testamentum presbyteros debere media nocte etiam conventum celebrare, cui adsistant soli perfectiores: sed nullum perhibet textum laudum in illo persolvendarum.

DISSERTATIO VII.

De baptismo.

Alter Testamenti liber præsefert sequentem titulum: «*Præcepta, canones et statuta, quæ Dominus noster Jesus Christus præscripsit circa ordinem baptizandorum*». Exponuntur videlicet in præfato libro

(1) Cuique perspecta est similitudo eorum, quæ hic dicuntur cum iis, quæ occurrunt in *Doctrina apost.* c. 10.

ea omnia, quæ respiciunt sive catechumenatum, sive baptismum cum ritibus ei adnexis, sive consignationem seu confirmationem, sive communionem eucharisticam, quæ omnia in vetere disciplina simul conferebantur, uti ex infra dicendis apparebit. Dicamus de singulis breviter.

De catechumenatu.

Crescente in dies post apostolorum prædicationem numero accedentium ad fidem, statutum fuit, ut antequam hi accedentes susciperent baptismum, præpararentur ad initiationem christianam auditione verbi seu catecheseos certum per temporis intervallum. Et jam in monumentis secundi sæculi[1] occurrit mentio audientium seu catechumenorum, quamvis non satis liquet, quo præcise tempore regulæ disciplinæ catechumenatus constitutæ fuerint.

Describamus de nostro documento statuta de catechumenatu.

Proponit initio regulas de admittendis vel rejiciendis accedentibus, quas regulas auctor operis «de mystico ministerio» (Constit. apost. libr. VIII c. 32, 1—14) in compendium redigit, inductis quibusdam mutationibus juxta disciplinam vigentem sua ætate. Propositarum regularum summa huc redit, ut accedentes inter catechumenos non reciperentur, nisi prævia inquisitione manifeste constiterit illos sincere accessisse et velle vitam moresque professioni christianæ rite conformare.

Inter præfata statuta illud commemorandum est, quo monetur mulier accedens ad fidem, ut studeat suo viro in timore Dei placere, additurque illos habituros mercedem, si ambo castitatem servare voluerint. Præterea notandum est illud statutum, quo viro matrimonium inire cupienti præscribitur, ut uxorem ducat mulierem fidelem, «quæ valeat ipsum in fide retinere», accedenti autem libero, qui in cœlibatu manere cupiat, declaratur, «ut sic in Domino permaneat».

---

(1) Hermas I, 3, 7

Nullus a Testamento præscribitur ritus perficiendus in recipiendis accedentibus ad catechumenatum, sed notatur tantum admissos esse tradendos præceptoribus seu doctoribus, quibus onus incumbit erudiendi atque instruendi catechumenos in fide præceptisque christianæ religionis.

Tenebantur autem catechumeni, quoties sacer conventus congregaretur, se ad ecclesiam conferre et dispositi in æde ipsis destinata a dexteris viri, à sinistris mulieres, audita prius *doctoris catechesi*, adsistere tum orationibus et lectionibus utriusque fœderis, tum homiliæ seu commentario in sacras lectiones. Exinde vero ad intonationem diaconi, oratione facta manusque impositione ab episcopo suscepta, recedebant. Hæc est, quæ dicitur *missa catechumenorum*, de qua sermo fuit in *dissertatione de liturgia*.

Tempus catechumenatui definitum statuitur esse trium annorum, ita tamen ut cupienti baptizari ante expletum tempus, baptismus statim conferri debeat, dummodo compertum sit petentem assidue ac diligenter interfuisse catechesi, vigiliis et orationibus, commendabilemque se exhibuisse bonis operibus atque virtutibus, maxime vero fidei confessione. Notatur præterea casus, quo, si quis catechumenus propter nomen Christi comprehensus ad supplicium ducatur, evadensque festinet ad baptismum efflagitandum, absque mora et sine ulla hæsitatione baptizari debet. Tandem catechumenum interfectum propter fidem, proprio sanguine baptizatum esse declaratur.

De electis seu competentibus.

Post emensum temporis spatium catechumenatui adsignatum, qui, instituta inquisitione in ipsorum mores et vitam, petitisque etiam de hoc aliorum testimoniis, comperiebantur digni, eligebantur(1), ut se dis-

---

(1) Iuxta consuetudinem hierosolymitanam sic Silvia in sua peregrinatione describit electionem competentium: «Qui dat nomen suum, ante quadragesimam dat, et omnium nomina annotat presbyter . . . . . postmodum alia die de quadragesimis . . . ponitur episcopo cathedra media in ecclesia majore . . . sedent hinc et inde

ponerent ad suscipiendum proximo tempore baptismum. Hi sunt, qui a veteribus dicuntur *competentes* (*φωτιζόμενοι*).

Baptismus electis seu competentibus nocte paschæ solemniter erat conferendus, uti dicetur infra; præparatio autem eorumdem electorum, seu dispositio perdurabat quadraginta dies, qui baptismum præcedebant et appellabantur *quadraginta dies paschæ.*

Singulis illis diebus in ecclesia vigiliæ peragebantur, quibus non soli competentes sed etiam fidelium cœtus tenebantur adsistere. Præter preces orationesque in illis nocturnis vigiliis recitabantur variæ utriusque fœderis lectiones opportune selectæ, quatenus exhiberent rerum sacrarum notitiam, quas deinde episcopus prolixis commentariis explanabat(1). Hac ratione competentes quamvis absoluto catechumenatus cursu præter doctoris catechesim sacras lectiones homiliasque audierant, decursu prædictæ quadragesimæ plenius perfectiusque addiscebant tum doctrinam veteris legis tum eloquia apostolica et evangelica(2). Præterea

---

presbyteri in cathedris et stant clerici omnes. Et sic adducuntur unus et unus competens ... et sic singulariter interrogat episcopus vicinos ejus, qui intravit, dicens: si bonæ vitæ est hic, si parentibus defert, si ebriacus est aut vanus et singula vitia, quæ sunt tamen graviora in homine, requiret, ut si probaverit sine reprehensione esse de his omnibus, quibus requisierit præsentibus testibus, annotat ipse manu sua nomen illius. Si autem in aliquo accusatur, jubet illum foras exire dicens: emendet se et cum emendaverit se, tunc accedet ad lavacrum. Sic de viris, sic de mulieribus requirens dicit».

(1) Const. apost. in lib. VII c. 39 exhibent *synopsim* eorum, quibus electi instrui debent. In peregrinatione sic exprimitur instructio competentium: «Consuetudo est hic talis, ut qui accedunt ad baptismum, per ipsos dies quadraginta ... primum mature a clericis exorcizentur, mox missa facta fuerit de Anastase matutina. Et statim ponitur cathedra episcopo ... in ecclesia majore et sedent omnes in giro prope episcopo, qui baptizandi sunt, tam viri quam mulieres: stant loco etiam patres vel matres, nec non etiam, qui volunt audire, de plebe omnes intrant et sedent, sed fideles. Catechumenus autem ibi non intrat tunc, quia episcopus docet illos legem. Id est sic inchoans a Genesi per illos dies quadraginta percurret omnes scripturas, primum exponens carnaliter et sic illud solvens spiritualiter. Nec non etiam et de resurrectione similiter et de fide omnia docentur per illos dies. Hoc autem catechesis appellatur».

(2) Notandum est in documento nostro nullum inveniri vestigium, neque tradendi neque reddendi symboli, sane non alia de causa, nisi quia probabiliter, quo tempore

disponebantur electi ad sacrum lavacrum per exorcismos. Præscribitur itaque in nostro documento, ut competentes ab ipsa die, qua eliguntur, exorcizentur (1) *collective*, deinde *adpropinquantibus diebus paschæ* se sistant coram episcopo, qui *singulos seorsim* exorcizare debet, ut ipsi constet eos esse mundos.

Per modum immediatæ præparationis ad suscipiendum baptismum injungebantur electis duo, nimirum se lavare et jejunare.

Quoad lotionem statuit auctor noster monendos baptizandos, ut feria V[a] hebdomadæ paschæ sese lavent, caputque tergant, additque mulieri menstruæ licere se lavare die sequenti. S. Augustinus in sua epistola ad Januarium (Migne P.L.T. XXXIII epist. 54 alias 118 col. 204), cum refert, «plures et prope omnes fideles in plerisque locis feria V[a] hebdomadæ paschæ lavare consuevisse», repetit originem ejusmodi consuetudinis ex lavacro olim baptizandis illa die præscripto; sic enim scribit: «*Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus sit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, nisi quia baptizandorum corpora per observationem quadragesimæ sordidata cum offensione sensus ad fontem tractarentur, nisi aliqua die lavarentur. Istum autem diem potius ad hoc electum, quo cœna dominica anniversarie celebratur. Et quia concessum est hoc baptismum accepturis, multi cum his lavare voluerunt*». Interim notandum est ex allatis verbis manifestum esse præscriptionem, ad

---

Testamentum fuit conscriptum, nondum habebatur formula recitativa symboli, sed tantummodo in usu erat formula interrogativa, cui baptizandi ad trinam immersionem respondere debebant. (Vide infra hac de re dicenda pag. 217). Inter vetustiores qui commemorant symboli traditionem vel redditionem cf. S. Cyrillum Hierosolym. in Catech. V, 12, Silv. in peregrinat edit. Gamurrini an. 1887 pag. 107, Concil. Laodic. can. 46, S. Ambros. in epist. 20.

(1) Ex nostro documento dicendum est competentes fuisse initio quadragesimæ semel collective exorcizatos, iterumque adpropinquante pascha singillatim, minime quotidie totam per quadragesimam. Insuper ex variis locis Testamenti constat nonnisi episcopum et presbyteros, minime vero clericos inferiores, fuisse functos munere exorcizandi. Non apparet autem ex textu, utrum collectiva ista exorcizatio competentium ab episcopo an a presbytero esset perficienda.

solos baptizandos restrictam, se lavandi feria V^a^ hebdomadæ paschæ, jam tempore S. Augustini præ vetustate minime fuisse omnibus perspectam, quod non leve argumentum suppeditat de antiqua ætate Testamenti.

Quoad secundum i. e. jejunium, decernitur baptizandos debere jejunare feria sexta et sabbato[1] paschæ, nec esse solvendum jejunium nisi media nocte, quæ sequitur sabbatum; unde etiam apparet illud jejunium fuisse absolutum et continuum.

Porro mulieri menstruæ, cui concessum fuit in alteram diem differre lotionem, præsumendum est licitum quoque fuisse solo die sabbati jejunium observare.

De ritu baptismi.

1°. *De exorcismo, insufflatione et signatione.*

Ad significandum illud s. Pauli (Col. II, 12): «Consepulti in baptismo, in quo et resurrexistis» a remotissima antiquitate assignata fuit solemni collationi baptismi nox, quæ sequitur sabbatum paschæ, quod eadem nocte peragitur memoria tum sepulturæ tum resurrectionis Domini.

Antequam ex Testamento seriem rituum solemnitatis baptismi describamus, monendum est hanc fuisse consuetudinem, ut sacer conventus sub noctem cogeretur, eique præter baptizandos, catechumeni et fideles quoque initio interessent. Post primam itaque lectionem ad nutum episcopi conclamat diaconus, ut baptizandi genua[2] flectant; episcopus vero manum super illos imponens recitat formulam exorcismi valde prolixam, qua absoluta, conclamat clerus cum populo: *Fiat, fiat,*

---

(1) Testimonia veterum de jejunio ante baptismum occurrunt apud auctorem Doctrinæ apost. (N. 7); Justin. M. (Apol. I. 61); Clement. Alexand. (epist. ex Theodot. 83—84); Tertull. (de baptis. 20).

(2) Etiam in ritu baptismi, quem adhibent Copti alexandrini Patriarchatus, præscribitur, ut baptizandi incurvent genua, dum exorcizantur.

fiat. Tunc episcopus insufflat in baptizandos adhuc genuflexos, et singulos super frontem, nares, cor et aures digito signat absque oleo. Hinc baptizandi se erigunt.

2°. *De sanctorum oleorum benedictione.*

Priusquam ceteros ritus prosequatur, Testamentum monet tunc ab episcopo consecrari duo (1) olea in duobus distinctis vasibus, quorum alterum dicitur oleum *exorcismi* et est oleum catechumenorum, alterum *eucharisticum* et est sacrum chrisma, quo consignandi sunt neo-baptizati, uti infra dicetur. Exinde duo discimus: 1° sacra olea etiam prisca ætate fuisse ab episcopo benedicta seu consecrata, sed inter solemnia (2) baptismi; 2° sacrum chrisma ex solo (3) oleo sine balsami immixtione fuisse primitus confectum.

3°. *De abrenuntiatione, chrismatione et professione.*

Consecratis oleis, episcopus manu apprehendit baptizandum, eique præcipit, ut, facie versus occidentem conversa, hanc abrenuntiationis formulam proferat: « *Abrenuntio tibi, satanas, omni tuo cultui, tuis pompis, tuis voluptatibus et cunctis tuis operibus* » (4): statim post abrenuntiationem subdit Testamentum, episcopum ungere baptizandum *oleo exorcismi*, et hanc interea formulam proferre: « *Te ungo hoc oleo exorcismi in liberationem ab omni spiritu maligno ac impuro, nec non in liberationem*

(1) Documentum nostrum non exhibet formulas adhibendas ad benedictionem utriusque olei, sed tantum pro benedicendo oleo exorcismi innuit recitandam esse formulam exorcizandi catechumenos, nihil addens pro consecrando oleo eucharistico.

(2) Apud Græcos, Coptos et Chaldæos hodie etiam in ipsa collatione baptismi benedicitur oleum catechumenorum, quod a Coptis appellatur oleum *catecheseos.*

(3) Videtur Tertullianus idem innuere, dum sacrum chrisma, quo consignantur baptizati, simpliciter dicit *oleum* (Advers. Marcion. I, 14).

(4) Tertullianus (de cor. mil. c. 3) scribit: «*Denique ut a baptismo ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquando prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompæ et angelis ejus*». Non solum formula ista abrenuntiationis fere cum nostra concordat, sed insuper illa verba quoque «sub antistitis manu» indicant episcopum manu tenere baptizandum, dum abrenuntiationem emittit. Cf. S. Cyrill. Hierosolym. Catech. XIX, 2.

ab omni malo». Unctione facta per totum corpus[1], baptizandum, quem manu tenet, ad orientem convertit ipse episcopus, suggeritque ei, ut repetat sequentem submissionis professionem: «*Submitto me tibi, Pater, Fili et Spiritus sancte, a quo omnis natura trepidat et contremiscit: concede mihi, ut omnia tua placita absque macula adimpleam*».

4°. *De immersione.*

Hujusmodi professionem sequitur immediate baptismus proprie dictus. Præscribit Testamentum, ut baptizandi accedant ad aquas, quæ debent esse mundæ et *fluentes*[2] (ܡ̈ܝܐ ܕܪ̈ܕܝܢ). Quæ quidem verba non immerito dicenda sunt indicare baptismum fuisse collatum in flumine vel torrente, in quibus aquæ sunt fluentes. Notandum est præterea in nostro documento nullam fieri mentionem ritus benedicendæ aquæ[3], cujus meminit lib. VII C. A. (c. 43).

Porro animadvertit Testamentum prius esse baptizandos illos, quibus voluntas est Deo consecrandi suam virginitatem, et baptizandos quidem esse per manum episcopi, ceteros vero per presbyteros[4] hoc ordine: primo pueros, tum viros, deinde mulieres. Idem auctor noster animadvertit, si pueri infantes baptizandi sint, qui respondere non valent per se ad interrogationes circa fidei articulos ante immersionem, nec proferre abrenuntiationes, professionemque submissionis, eorum vices ab ipsorum parentibus, aut propinquis, aut domesticis esse supplendas. Hoc luculentum testimonium est de baptismo collato infantibus ante ætatem Nicænam[5].

---

(1) Quamvis expresse non indicatur in Testamento ungendum esse totum corpus, id tamen constat tum ex aliis documentis, tum ex usu, qui viget hodie etiam apud Syros, plerosque Orientales.

(2) Cf. Doctrin. apost. 7.

(3) Videtur ritus benedicendæ aquæ baptismatis inter ipsa solemnia baptismi fuisse inductus post usum piscinarum seu fontium baptismalium.

(4) «Dandi baptismum, ait Tertullianus, jus, summus sacerdos, qui est episcopus, de (hinc) presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate» (De bapt. 17).

(5) Cf. Tertull. de bapt. 18; Origen. epist. ad Rom. V. c. 6; homil. XIV in Luc.

Sic porro Testamentum describit ritum immersionis in baptismo. Baptizandus, qui jam ante unctionem vestes exuerat, deposueratque quodlibet ornamentum, sive anulum sive monile, descendit nudus in aquas, descenditque similiter cum ipso diaconus. Tunc baptizans manum imponens super illius caput, sic ipsum interrogat: *Credisne in Deum Patrem omnipotentem?* cui ille respondet: *Credo;* atque ita ipsum prima vice baptizat immergendo. Interrogat secundo: *Credisne in Jesum Christum, Filium Dei, qui a Patre venit et cum Patre ab initio fuit, qui ex Maria virgine per Spiritum sanctum natus est, qui crucifixus est sub Pontio Pilato, qui mortuus est et resurrexit die tertia reviviscens ex mortuis, ascendit in cœlum, sedet a dextera Patris, et venturus est ad judicandos vivos et mortuos?* quibus respondet: *Credo;* tunc ipsum secunda vice baptizat. Deinde interrogat tertio: *Credisne in Spiritum sanctum; in sanctam Ecclesiam?* respondentem etiam *Credo*(1), illum tertia vice baptizat. Procul dubio est ad trinam immersionem fuisse evangelicam formam prolatam. Præ ceteris autem notamus his haberi prototypum symboli fidei sub formula tamen interrogatoria, cujus quidem symboli partes respondent ad amussim symbolo dicto apostolorum, quo ecclesia romana utitur, exceptis duobus ultimis articulis, quorum alter refertur ad remissionem peccatorum, alter ad resurrectionem mortuorum. Unde merito deducitur pristina ætate nondum fuisse insertos in symbolum duos memoratos articulos, propterea quod professio in *remissionem peccatorum* censebatur fieri ipso facto suscipiendi baptismum; dogma vero mortuorum resurrectionis non nisi *post baptismum* erat neophytis revelandum, uti infra dicemus. Tertullianus quoque testatur præfatum symbolum fuisse sub *formula responsi* a baptizante exhibitum in actu ipso immersionis. «Ter, ait, immergimur,

(1) Etiam vetusta ritualia romanæ ecclesiæ continent hisce similes interrogationes faciendas ad trinam immersionem (vid. Sacrament. Gelas. I. 570—596). Apud Orientales autem ejusmodi interrogationes suppressæ fuerunt post introductum usum recitandi symboli nicæni.

amplius aliquid *respondentes* quam Dominus in evangelio determinaverit» (De cor. 3). Imo etiam videtur præter confessionem in singulas tres divinas personas fuisse suo tempore adnexam solam professionem *in Ecclesiam*, eodem modo ac in symbolo nostri documenti. «Cum autem, *ait*, sub tribus et testatio fidei et sponsio salutis gigneretur, necessario adjicitur *Ecclesiæ* mentio, quoniam ubi tres id est Pater et Filius et Spiritus sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est[1]». (De baptismo 6).

5°. *De unctione, manus impositione et consignatione.*

Post baptismum seu immersionem tres commemorat Testamentum ritus diversos, qui sunt: 1° *unctio baptizati oleo eucharistico per presbyterum;* 2° *manus impositio per episcopum super baptizatum ad conferendum eidem Spiritum sanctum;* 3° *consignatio ipsius oleo eucharistico per eundem episcopum.*

Quoad unctionem per presbyterum sic habet documentum nostrum: *Baptizatus cum ex aqua ascendit, ungatur oleo eucharistico a presbytero, qui tunc dicit: ungo te oleo in nomine Jesu Christi. Mulieres autem ungantur a viduis habentibus præcedentiam, dum interim presbyter verba* (supra indicata) *recitat.* — Jamvero etiam Tertullianus hujusmodi unctionem commemorat, quamvis non indicet eam a presbytero fieri: *Egressi*, ait, *de lavacro perungimur benedicta unctione* (De baptism. 7) et in libro de resurrectione carnis 8 ait: «*Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur*».

Perspicuum esse debet hujusmodi unctionem, quamvis fiat oleo

[1] Nihilominus alibi Tertullianus exhibet formulam symboli continentem professionem carnis resurrectionis: «Regula quidem fidei, *ait*, una omnino est, et, sola immobilis et irreformabilis credendi, scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et Filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertia die resuscitatum a mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos, *per carnis etiam resurrectionem*» (De veland. virg. I). Qua de re arbitramur dicendum vel aliquem librarium illa verba «per carnis resurrectionem» hic adjecisse, vel potius præscriptam a Testamento disciplinam de non revelanda resurrectione carnis nisi jam baptizatis fuisse tempore Tertulliani reformatam.

eucharistico, quod pro sacro chrismate habebatur, non esse consignationem seu sacramentum confirmationis, tum quia ea per presbyterum, mulieribus autem per viduas fit, tum quia formula, quæ profertur ad unctionem, non præsefert significationem formæ sacramenti, tum denique, quia datur alia unctio per episcopum conjuncta cum forma, quæ re vera constituit sacramentum confirmationis, ut melius mox patebit ex dicendis. Postremo ista unctio per presbyterum videtur fieri in corpore baptizati, quum illa, quæ ab episcopo perficitur, fiat in fronte.

Quoad secundum ritum, nempe manus impositionem episcopi super baptizatos, hæc tradit Testamentum: *Post baptismum* (et unctionem per presbyterum) *omnes conveniunt in ecclesiam, ubi episcopus manum eis imponens profert super eos* (collective) *invocationem Spiritus sancti: Domine Deus, qui per dilectum Filium tuum* etc. In qua invocatione inter cetera ait: *(Domine)* . . . . . *qui dignos fecisti hosce famulos tuos per Christum tuum, ut mererentur remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis . . . dignos illos fac, ut per philanthropiam tuam impleantur Spiritu sancto, cum iisdem concedis gratiam tuam ut Tibi vere juxta placitum tuum, Deus, serviant et adimpleant sancte præcepta tua etc.*

Nemo non videt omnimodam conformitatem hujus ritus conferendi Spiritum sanctum per impositionem manus episcopi cum iis, quæ habentur hoc de sacramento in Act. apost. c. VIII 12—17, et XIX, 5. 6. Tertullianus quoque post unctionem, de qua supra, commemorat manus impositionem *sanctique Spiritus* advocationem: «*Egressi*, ait, *de lavacro perungimur benedicta unctione . . . dehinc manus imponitur per benedictionem advocans et invocans Spiritum sanctum*». (De baptism. 7, 8).

Tertium deinde ritum, nempe consignationem seu unctionem per episcopum connectit Testamentum cum memorata Spiritus sancti collatione. Post invocationem enim Spiritus sancti, et non interposito responso «*Amen*», ait: «*Simili modo fundens* (episcopus) *oleum* (eucharisticum) *manumque capiti* (baptizati) *imponens dicit:* Ungendo te ungo in

Deo omnipotente, in Christo Jesu et in Spiritu sancto, ut sis operarius habens fidem perfectam et vas ipsi gratum». Dein subdit: «*Et consignans eum in fronte pacem dat ipsi dicens: Deus humilium sit tecum. Et signatus respondet dicens: Et cum spiritu tuo*». Habetur hic conjuncta cum collatione Spiritus sancti consignatio per episcopum oleo eucharistico cum forma, qua apte exprimitur sacramenti confirmationis effectus. Etiam Tertullianus ritum consignationis denotat (in libro de resurrectione carnis 8), ubi præter unctionem (per presbyterum) et manus impositionem commemorat *signationem*, quamvis illam ante et non post manus impositionem collocet. «*Caro*, ait, *abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur*». Et idem Tertullianus videtur alludere ad pacis dandæ cæremoniam (in lib. de baptism. 8), ubi, commemorata pace concessa mundo post diluvium, ait: «*Eadem dispositione spiritalis effectus terræ, id est carni nostræ, emergenti de lavacro, post vetera delicta, columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens*».

Hæc paulo fusius visum est pertractare, non solum ad illustrandum luculentum et perantiquum testimonium, quod documentum nostrum suppeditat de sacramento confirmationis, sed etiam ut inde innotescat romanam ecclesiam traditum a Testamento pristinum ritum, quoad simplicem unctionem, manus impositionem et consignationem oleo sacro hodiernam in diem præ ceteris ecclesiis retinuisse.

6°. *De impositione vestis albæ et de prima communione.*

Quamvis in documento nostro disertis verbis non præscribatur oportere, ut neophyti ex aquis ascendentes induantur vestes albas, tamen ibidem non desunt indicia, quæ satis clare innuunt talem fuisse usum. Nam ubi describitur ritus, quo neophyti pretiosum sanguinem ex calice sumere debent, dicitur: «*Albis indutos suscipientes* ab invicem

calicem *alleluja* dicere debere». Aliunde notum est innumera occurrere testimonia veterum de ejusmodi usu.

Neophyti post consignationem introducuntur(1) in ecclesiam, ut una cum reliquis fidelibus orent adsistantque celebrationi liturgiæ missæ, cujus participes fiunt per susceptionem eucharistiæ sub utraque specie(2). Monet autem auctor noster quemvis baptizatorum debere in accedendo ad baptismum suscipiendum illa nocte secum habere *unum panem* ad oblationem eucharisticam. Animadvertendum porro est in Testamento nullam mentionem occurrere potus lactis et mellis(3), post eucharisticam communionem præbendi baptizatis, quem usum jam Tertullianus commemorat (adv. Marcion. I, 14) testanturque antiqua ritualia ecclesiæ latinæ et ecclesiæ alexandrinæ Coptorum (V, Denzinger ritus orientalium Tom. I pag. 221 in not.) et Aethiopum (Ibid. pag. 232). Videtur ille usus fuisse vel ab initio specialis ecclesiæ romanæ et alexandrinæ.

Baptizatis, post susceptam eucharistiam, vehementer inculcatur, ut operibus bonis insistant, et tandem iisdem revelatur dogma de *resurrectione corporum*, quod gravibus verbis Testamentum admonet ante hanc horam illis debuisse celari.

Expleta, media jam nocte, illa solemnitate, permanent neophyti usque ad ortum diei in ecclesia, ubi, curante episcopo, cibum sumunt et post quietem captam orationi vacant.

---

(1) S. Ephraem sic celebrat neophytorum admissionem in cœtum fidelium:
ܥܪ̈ܒܐ ܥܬܝܩ̈ܐ ܕܠܓܘ. ܗܐ ܪܗܛܝܢ ܠܡܢܫܩܘ ܠܐܡܪ̈ܐ ܚ̈ܕܬܐ ܕܐܬܬܘܣܦܘ.
ܚܘܪ̈ܐ ܠܒܝܫܘ ܚܘܪ̈ܐ. ܡܢ ܠܓܘ ܘܡܢ ܠܒܪ ܚܘܪܝܢ. ܦܓܪ̈ܝܟܘܢ ܐܝܟ ܢܚ̈ܬܝܟܘܢ܀
«Oves veteres, ait, quæ intus sunt, festinant ad osculandos agnos novos superadditos. Albi induti sunt albis, intus et foris (albi sunt): alba sunt corpora vestra, alba et indumenta» Op. s. Ephr. edit. Lamy tom. I pag. 60.

(2) Tertull. (de resurrect. carnis 8).

(3) S. Ephraem excludit hujusmodi usum, ubi in quodam hymno *de baptismo* dicit: «Cum ille uterus (fons baptismalis) genuerit, altare lactat et nutrit. O natos! qui cito pro lacte sugendo, manducant panem perfectum».

INDEX.

	Pag.
DEDICATIO	III
PRÆFATIO	V
PROLEGOMENA	VII
Capita	
I. Descriptio codicum, unde «Testamentum Domini nostri» editur	IX
II. De titulo et argumento operis; de auctore cui tribuitur; de lingua, qua scriptum fuerit; de ejus interprete syriaco; necnon de ipsius versionibus coptica, æthiopica, arabica et latina	XII
III. Testimonia Veterum de Testamento	XV
IV. Relatio quæ intercedit inter Testamentum et inter Canones ecclesiasticos, lib. VIII Const. A. et Canones Hippolyti	XVIII
A) Expenduntur Canones ecclesiastici, collatione instituta inter eosdem et Testamentum	XXI
B) Expenditur l. VIII C. A. et comparatur cum libello Canonum ecclesiasticorum	XXXI
C) Perpenduntur Canones Hippolyti	XXXV
V. Ætas auctoris Testamenti definitur	XLI
VI. Fides auctoris Testamenti	XLVIII
A) De mysterio Trinitatis	ib.
B) De mysterio Incarnationis	XLIX
C) Quoad historiam evangelicam	L
D) De hierarchia cælesti	ib.
VII. Patria auctoris Testamenti	LI

Liber primus.

Testamentum seu Verba, quæ Dominus noster ex mortuis resurgens dixit suis Apostolis.

PROLOGUS	3
Capita	
I—XIV. De fine mundi et eventibus illum renuntiantibus et de adventu Antichristi ipsiusque signis	5—19
XV. De canone Ecclesiæ constituendæ	19
XVI. De Marthæ Mariæ et Salome interrogatione	ib.
XVII. De observandis præscriptis Testamenti	21
XVIII. De revelandis tantum eis qui perfectiores sunt	ib.
XIX. De constitutione Ecclesiæ	23
XX. De electione episcopi	27

Capita		Pag.
XXI.	De ordinatione episcopi	27
XXII.	De muneribus quæ incumbunt episcopo	33
XXIII.	De oblatione sacrificii missæ	35
XXIV.	De consecratione olei infirmorum	49
XXV.	De consecratione aquæ	ib.
XXVI.	De laudatione ad auroram	51
XXVII.	De lectionibus sacris et homilia	59
XXVIII.	De instructione mystagogica	ib.
XXIX.	De electione presbyteri	67
XXX.	De ordinatione presbyteri	69
XXXI.	De iis quæ incumbunt presbytero	71
XXXII.	De oratione presbyteri	77
XXXIII.	De electione diaconi	79
XXXIV.	De iis quæ incumbunt diacono	81
XXXV.	Proclamationes diaconi	83
XXXVI.	De officiis diaconi in conventu sacro	89
XXXVII.	De officio diaconi quoad delinquentes	91
XXXVIII.	De ordinatione diaconi	ib.
XXXIX.	De Confessoribus	93
XL.	De viduis	95
XLI.	De ordinatione viduæ	99
XLII.	De iis quæ incumbunt viduæ	101
XLIII.	De oratione viduæ	ib.
XLIV.	De hypodiaconis	105
XLV.	De lectore	ib.
XLVI.	De virginibus	107
XLVII.	De charismate	109

LIBER SECUNDUS.

Præcepta, canones et statuta, quæ Dominus Noster Jesus Christus præscripsit circa ordinem baptizandorum.

I.	De accedentibus ad audiendum verbum	111
II.	De admittendis in catechumenatum vel ab eo rejiciendis	115
III.	De catechumenatu	117
IV.	De missa catechumenorum	ib.
V.	De oratione super catechumenos	119
VI.	De electis	ib.
VII.	De exorcizandis electis	121
VIII.	De baptismo solemni	127
IX.	De consignatione baptizatorum	131
X.	De communione iisdem danda	ib.
XI.	De hebdomada Paschæ	133
XII.	De Pentecostes diebus	135
XIII.	De agapibus	ib.

Capita		Pag.
XIV.	De primitiis	137
XV.	De eleemosynis	ib.
XVI.	De benedictione fructuum	139
XVII.	De conviviis	ib.
XVIII.	De ultimis duobus diebus paschæ	ib.
XIX.	De nocte sabbati paschæ	141
XX.	De solemnitate paschæ	ib.
XXI.	De ægrotis	143
XXII.	De psalmodia	ib.
XXIII.	De sepeliendis egenis et peregrinis	ib.
XXIV.	De horis orationis	145
XXV.	De promissa salute adimplentibus præcepta	147
XXVI.	Adhortatio de tradendo Testamento gentibus	ib.
XXVII.	Conclusio	ib.

DISSERTATIONES.

I.	De descriptione ecclesiæ	153
II.	De hierarchia ecclesiastica	156
	1. De episcopo instituendo	ib.
	2. De presbytero	160
	3. De diacono	161
	4. De viduis, diaconissis, presbyteris feminis et de virginibus	163
	5. De clericis inferioribus	168
III.	De liturgia missæ	169
	1. Missa catechumenorum	170
	2. Oratio fidelium	175
	3. Concio mystagogica	178
	4. Ordo a clero servandus in celebratione liturgiæ	180
	5. Dispositio oblatorum super altare et osculum pacis	181
	6. Præfatio orationis eucharisticæ	183
	7. Oratio eucharistica	185
	8. Antecommunio	195
	9. Communio	197
	10. Postcommunio	199
IV.	De diebus liturgicis et de festis	ib.
	1. De epiphania	200
	2. De pascha	201
	3. De pentecoste	203
V.	De diebus jejunii	204
VI.	De oratione privata et publica	206
VII.	De baptismo	209
	De catechumenatu	210
	De electis seu competentibus	211
	De ritu baptismi	214

INDEX ANALYTICUS RERUM ORDINE ALPHABETICO.

A

Abrenuntiationes in baptismo XXVIII. 129. 215.
Abstinentia a carne et vino præscripta episcopo 35; præsbytero 75.
Accedentes ad audiendum verbum XXVII. 111. 210. — Quinam admittendi in catechumenatum et quinam rejiciendi XXVII. XXXIII. XXXVII. 111—117. — Admissorum instructio XXIV. XXVII. 35. 75. 111. 113. 117. 210 et seq.
Acolythi XLIV.
Adolescentulæ 109. 117.
Ædes dominica 27. 71. *Vide* Ecclesia.
Ædes baptisterii 23. 25. 155.
Ædes catechumenorum 23.
Ædes ecclesiæ adnexæ 27. *Vid.* Conclavia.
Ædes exorcizandorum 23.
Ægroti visitandi XXX. 75. 81. 97. 143.
Agapes XXIX. XL seq. 79. 200. *Vid.* Cœna, Convivium.
Agnus Dei formula in liturgia romana 197.
Altare 25; ejus consecratio 156; ejusdem velum 25. 35. 154. 180.
Ambon 155. *Vid.* locus legendi sacram scripturam.
Antecommunio 45. 47. 195—197.
Antechristus 13. 14. 15.
Apocalypsis Petri 9.
Aqua benedicta XXV. XXXIII. 49.
Aquæ baptismalis benedictio XXVIII. 210.
Aquæ baptismi fluentes 127. 210.
Ascensionis Domini festum XXXIV. 203.
Ascetæ 137. 145. 167. 207.
Ascetismus 167.
Athanasius (S.) citatus 184.
Augustinus (S.) citatus 194. 213.

B

Baptismum XXVIII. 121. 126. 204 seq. 214. — Baptismum infantium 127. — Ritus conferendi baptismi, solemnis 121—131. 214—218. — Minister baptismi episcopus aut presbyter 127. et in necessitate diaconus 135.
Baptismi Domini festum 200.
Baptisterii ædes. *Vid.* Ædes.
Baptisterii velum 25. 156.
Bar-Kepha 177.
Bar-Sabtha 192.
Bar-Salibi 177.

C

Cadaver unguento condiendum 143.
Calix oblationis XXX. 33. 35. 75. 131. 133. 135.
Canones Apostolorum XI.
Canonum ecclesiasticorum liber *primus* X. 157. 166.
Canonum ecclesiasticorum liber *secundus* XVI. XIX. XX. XXI seq. eorundem versio coptica XXI. Versio antiqua latina XXII. XXIII seq. XXV. XXIX. Ipsorum canonum ex Testamento emanatio XIX. XX. XXII. XXXI. Auctoris ejus libri ætas XX; patria XXII.
Canones Hippolyti XXXV; eorum derivatio XIX. Perpenduntur, XXXV—XLI; ipsorum innacurata digestio XXXV—

XXXVI. XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. Ejusdem libri recens ætas XXXVII—XLI.
Cantica 25. 55. 101. 135. 208.
Καταστρομα 154.
Catechumenatus XXXIII. XXXVIII. 117. 119. 210—211. Definitum tempus catechumenatui aliquando coarctatur 117. 119. 211.
Catechumeni et Catechumenæ 35. 37. 59. 81. 87. 115. 117. 135. 141. 147. 162. 175. 211. *Vid.* Accedentes ad audiendum verbum.
Catechumenus apprehensus et interfectus propter fidem 119. 211.
Catechumenorum ædes 23. 155; quo ordine sacro conventui et lectionibus ibi adsistere iidem debent 117. 211.
Catechumenorum Missa 35. 59. 117. 170—175. 211.
Charismata X. XXVI. XXXVIII. XLVII. 37. 45. 69. 109. 180. 189. 197.
Cherubicon (ritus in celebranda liturgia) 177.
Chori cælestes LI. 41. 61. 121. 125. 147.
Chrisma sacrum solo oleo confectum 215.
Clerici inferiores XLIV. 168.
Clerus 47. 51. 81. 93.
Cœlibes *vid.* Virgines.
Cœlibes vel vidui unius uxoris eligendi in episcopos 27. 156 seq.; in presbyteros 160; in diaconos 79. 161.
Cœlibatus status perfectionis 107. 145. 167.
Cœmeterium XXX. 143. 144.
Cœna XXIX. 135—147. *Vid.* Convivium. *Vid.* Agapes.
Commemorationes in liturgia 25. 45.
Communio 47. 133. 197—199. *Vid.* Eucharistia.
Conclavia episcopi, presbyterorum, diaconorum et viduarum in atrio ecclesiæ 27. 156. 163.
Confessores XXVI. XXXIII. 93. 95. — Obtinebant honores cleri, minime vero potestatem ordinis XXXVII. 93.
Constitutionum apostolicarum liber *octavus* XI.
C. A. VII et VIII idem redactor XXXIV. — C. A. lib. VIII emanatio XIX. XXXI—XXXIV.
Continentia XXVII. 113. 210.
Conventus sacer XLVI. 51 seq. 77 seq. 79. 89 seq.; laudatio 127. 131. 135. 139.
Convivium XXIX. 135—137. 141. *Vid.* Agapes. Cœna.
Cornelius Papa citatus XLIV.
Crux uti mysterium arcanum XLV. 63.
Cyprianus (S.) citatus XLII. 158. 184.

D

Defuncti XXX. 81. 83. 87. 137. 143.
Delinquentes in ecclesia XV. 81.
Diaconatus 93.
Diaconicon 23. 155.
Diaconissa. Diaconissæ XXXII. XLIII. 27. 37. 47. 87. 91. 143. 165. 166. 181. 198.
Diaconus. Diaconi 27. 37. 45. 47. 51. 56. 59. 75. 83. 85. 87. 89. 97. 121. 125. 127. 129. 131. 133. 139. 141. 143. 156. 170. 180. 197. *Vid.* Proto-diaconus.
Diaconi electio 79. 161; dotes requisitæ in eligendo in diaconum 79. 161; ejusdem institutio XXV. XXXII. 91 seq. 161 seq.; munera et officia quæ ei incumbunt 81. 89 seq. 162. 163. *Vid.* Baptismi minister; *Vid.* Eucharistiæ distribuendæ minister.
Diaconi Proclamationes. *Vid.* Proclamationes.
Diaconi vestis alba cum orario 83.
Didascalia XVII. 153. 166; ejus antiqua versio latina XXII.
Dies dominica XXXVI. 27. 33. 35. 67. 81. 97. 101. 105. 135. 157. 164. 200.
Dies festi XXXIV. XLVII.
Dies liturgici 199. 203. *Vid.* Dies dominica. Sabbatum. Dies jejunii. Epiphania. Pascha. Pentecostes.

Doctores catechumenorum vel præceptores III. 117. 121.
Domus dominica. *Vid.* Ædes dominica.

E

Ecclesia æthiopica XVIII.
Ecclesia Alexandrina Coptorum XVII seq.
Ecclesia Antiochena Syrorum XVII.
Ecclesiæ romanæ ritus quoad Sacramentum confirmationis 220.
Ecclesiæ ædificii descriptio 23 seq. 153—156.
Ecclesia constituenda 19. 21.
Ecclesiæ benedictio seu consecratio 156.
Electi ad baptismum seu competentes XXVII seq. XXXIX. 119. 121. 211 seq.
Energumenus XXXI. 59. 174. *Vid.* Obsessus a dæmone.
Ephræm (S.) citatus 156. 199. 203.
Epiclesis 43. 188.
Epiphania XLVI. 67. 101. 200.
Episcopus 37. 47. 51. 59. 71. 81. 85. 87. 89. 91. III. 113. 117. 119. 125. 129. 131. 135. 137. 139. 141. 143. 145. 156. 180. 181. *Vid.* Præpositus, Pastor — Episcopi electio 27. 156; dotes requisitæ in eligendo 27. 156; ejus ordinatio seu institutio XXII seq. XXXI. XXXVI. XLII seq. 27—33. 157—158; munera et officia quæ ei incumbunt 33—35. 158 seq.
Episcopi ædes in atrio ecclesiæ 27.
Episcopi thronus in sanctuario 25.
Episcopum et presbyterum inter discrimen XXVI. XXXVII.
Eucharistiæ oblatio 35 seq. 61. 67. 131. 135.
Eucharistiæ quotidiana sumptio XXX. 147.
Eucharistiæ oratio super oblationem 39—45.
Eucharistia nova esca 141. 201; danda recens baptizatis XXVIII seq. 133. 221; deferenda ad decumbentes 141 seq. 201. — Verba dicenda in eucharistia distribuenda XXIX. XLIX. 133. 198. Eucharistiæ distribuendæ minister XXIX. XL. XLI. XLVI seq. 133. 161. 162. 198.
Eulogiæ XXIX. XXXIII. 141. 201.
Evangelium 23. 59. 63. 117. 121. 161. 162.
Evangelii codex 158.
Exorcismus 121. 125. 213. 214 seq.
Exorcista XXXIII. XLIV.
Exorcizandorum ædes 23.

F

Feria V hebdomadæ paschæ 121. 135. 200.
Feria VI paschæ 121. 139. 143.
Festum celebrandum post institutum episcopum 33.
Filii Dei prædicata XLIX. 39. 41. 51 seq. 57. 61.
Finis mundi 4—17.
Flabella 133. 162. 180.

G

Gazophylacium 25. 155.
Genuflectio interdicta per pentecosten 135. 203.

H

Hierarchia cælestis. *Vid.* Chori cælestes.
Homilia in liturgia 59. 170. 172.
Hospitium peregrinorum 27. 83. 162.
Hymnus doxologicus (Sanctus) in liturgia XLVI. 184 seq.
Hymnus qui decantatur ad communionem in liturgia 199.
Hypodiaconus. Hypodiaconi 37. 47. 83. 87. 89. 139. 168. 180. — Ejus dotes et institutio XXXII. XXXVII seq. XLIV; XLV. 105.

I

Ignatius Antiochenus (S.) citatus XLVIII. 165.
Illuminati XXXI. 174.

Immersio in baptismo 129. 216. 218.
Impositio manus super consecrandum in episcopum XLII. 27. 29. 157 seq; super ordinandum in presbyterum 69. 160; super ordinandum in diaconum 91. 162.
Impositio manus super catechumenos XXVII. 119. 121. 141. 191; super electos seu competentes 121; super recens baptizatos XXVIII. XL. 131. 219.
Impositio manus super panes oblationis eucharistiæ 37.
Incarnationis mysterium occultatum angelis XLIX. 61. 178; ignoratum a dæmonibus XLIX. 61. 178.
Infantium baptisma 127. 216.
Institutiones Eucharistiæ Verba 41 seq. in liturgia Maronitica diriguntur ad Filium 193; desunt in liturgia Nestorianorum 193.
Insufflatio in baptizandos 127. 215.
Invocatio Spiritus Sancti in liturgia. *Vid.* Epiclesis.
Invocatio Spiritus Sancti super recens baptizatos 131. 219.

J

Jacobi (S.) liturgia. *Vid.* Liturgia.
Jacobus Edessenus XIV. XVII. 193.
Jejunium præscriptum episcopo 33 seq.; presbytero 71. 75.
Jejunii dies quinam 35. 204. 205.
Jejunium quadragesimale XL. 205.
Jejunium paschæ. *Vid.* Paschæ jejunium.
Jejunium prohibitum per pentecosten 135. 203.
Jejunium ante suscipiendam Eucharistiam 141. 147.
Justinus M. (S.) citatus 170. 172. 186.

L

Laudatio publica ad auroram diebus liturgicis 51. 207. 208; ejusdem textus 51. 59. 89.
Laudatio presbyteri quotidiana ad auroram 77. 209; ejusdem textus 77 .79.
Laudationis presbyterorum quotidianæ media nocte textus 79.
Laudationis viduæ canonicæ ad mediam noctem textus 101 seq.
Laudationis viduæ canonicæ ad auroram textus 103 seq.
Lavacrum corporis 47. 101. 121. 213.
Lectiones sacræ 25. 35. 59. 111. 135. 139. 141. 170. 171.
Lectionarium 105.
Lector 59. 105. 170. 180; ipsius institutio XXVI. XXXIII. XXXVII. XLIV. XLV. 105. 168; dotes in eo requisitæ 105; ipsius officia 25. 139. 168 seq.
Lectores 37. 47. 83. 87.
Liber vivorum et mortuorum in liturgia 177. 178.
Litania diaconalis in liturgia XXXII. 85. 175 seq. 177. *Vid.* Proclamationes diaconales.
Liturgia missæ XXV. 89. 161. *Vid.* Eucharistiæ oblatio. — Liturgia missæ illustratur collatione instituta inter omnes ecclesiarum formulas 169—199.
Liturgiarum omnium distributio in classes 190—191.
Liturgia lib. II Constit. Apost. 170. 171. 172. 174. 176. 180. 181. 182. 183. XXXI. XXXII.
Liturgia lib. VIII Const. Apost. 170. 171. 172. 176. 181. 182. 183. 184. 185. 186. 188. 191. 196. 198.
Liturgia æthiopica 172. 176. 182. 184. 185. 186. 196. 198.
Liturgia armena 171. 174. 182. 183. 184. 196.
Liturgia byzantina seu græca 171. 174. 182. 183. 184. 191. 196.
Liturgia chaldaica 171. 175. 177. 182. 183. 184. 196.
Liturgia coptica 172. 175. 182. 183. 184. 191. 193 seq. 196.

Liturgia Maronitica 171. 175. 177. 182. 184. 191 seq. 192. 193. 196.
Liturgia Romana 172. 174. 182. 184. 194 seq. 197.
Liturgia Syriaca 171. 175. 177. 182. 183. 184. 192. 193 seq. 196.
Locus legendi Sacras Scripturas in ecclesia 25. 154. 155. *Vid.* Ambon.
Lotio manuum ante orationem XXX. 145.
Lucerna accendenda in ecclesia XLI. 135. 200.
Luminaria in ecclesia 25. 154. 162.

M

Matrimonium 113. 117. 210.
Mulier menstrua 47. 121. Mulier vim passa 91.
Mulieres in ecclesia 117. 119. — Caput operiant crinesque tegant 109. 117. Sint sine ornatu etc. 119. Quo ordine discedunt ab ecclesia 141.
Mystagogica instructio 59. 161. 178. — ejus textus 59—67.

O

Oblatio eucharistica. *Vid.* Eucharistia.
Oblationes ad eucharistiam 25. 37. 127. 181.
Oblatio panis et calicis feria V hebdomadæ paschæ 135. 200.
Obsessus a dæmone 113. 121. 125. *Vid.* Energumeni.
Octateuchus X seq.
Officii divini prisca forma 209.
Olei infirmorum benedictio XXXIII. 49.
Oleum dictum eucharisticum 127. 129. 131. 215. 218.
Oleum exorcismi 127. 129. 215.
Orarium diaconi 83.
Oratio dominica in liturgia XXXII. 196.
Oratio eucharistica in liturgia 39 seq. 185. 195.
Oratio fidelium in liturgia 175—178.
Orationis privatæ horæ præscriptæ episcopo XXXIV. 33. 206; presbytero XXXIV. 71. 75. 206; diacono XXXIV. 91; viduis canonicis 95. 97. 101. 103; laicis XXX. XXXIV. 145. 206.
Oratio publica 51. 209. *Vid.* Laudatio.
Osculum pacis in liturgia 37. 181. 183. Inter catechumenos 117. Osculum pacis dandum novo instituto presbytero 71. Osculum pacis dandum recens baptizatis 131.
Ostiarii XLIV. 181.

P

Panis ad eucharistiam. *Vid.* Oblationes.
Panis exorcizatus XXIX; panis purgatus oratione XLI.
Paschæ dies XXVIII. XXXIV. 67. 101. 139. 201. 203.
Paschæ jejunium XXVIII. XXX. XLIV. 121. 135. 143. 204. 214; reductum pro ægrotis ad unam diem 143. 214.
Pastor 67. 95. 119. 209. *Vid.* Episcopus.
Pentecostes 67. 101. 135. 203.
Peregrinatio Silviæ citatur 172. 211.
Plinius citatur XLVI.
Pœnitentes XXXI. XLIII. 91. 174.
Pœnitentiam agentes XV. 81. 91.
Porticus in ecclesia 25. 154.
Παστοφορια 25.
Post-Communio 47 seq. 199.
Potus lactis et mellis in ritu baptismi XXVIII. 221.
Præfatio in liturgia 39. 183 seq.
Præpositus in ecclesia 14. 19. 21. *Vid.* Episcopus.
Presbyter. Presbyteri 37. 47. 51. 55. 59. 71. 83. 85. 91. 99. 127. 129. 133. 137. 143. 156. 170. 180. 181. 197. — Electio presbyteri et dotes ejus 67. 160. dotes requisitæ in eo; ipsius institutio XXV. XXXII. XXXVI. 69. 160; munera et officia quæ ei incumbunt 71. 73. 75. 161.

Presbyterum et episcopum inter discrimen XXVI. XXXVII.
Presbyterorum subsellia. *Vid.* Subsellia.
Presbyteratus 85. 93.
Presbyteræ 87. 141. 166. 202.
Primitiæ 137. 139.
Prophetarum numerus L. 23.
Prophetica verba 69. 70. 71. 209.
Proclamationes diaconi 37 etc. 83. 87. 89 seq. 167. *Vid.* Litania diaconalis.
Proto-diaconus 25. 27. 155.
Psalmus 33[us] canendus in liturgia ad communionem 199.
Psalmodia 25. 55. 101. 135. 208.
Psalmista 83. 107.
Pseudo-Cyprianus XV.
Pseudo-Irenæus XVI.
Pseudo-Hippolytus. *Vid.* Canones Hippolyti.
Pueruli psallentes 55. 135. 143. 208.

Q

Quadraginta paschæ 127. 205. 212.

R

Recens baptizati 47. 129. 131. 141.
Resurrectionis carnis dogma XXIX. XL. 21. 133. 180. 217. 221.

S

Sabbati dies liturgica XXXVI. XL. 35. 67. 101. 200.
Sabbatum Paschæ 121. 139. 201.
Sacrificium Missæ. *Vid.* oblatio Eucharistica.
Severus Antiochenus citatus XVI.
Signatio neo-baptizatorum XXVIII. XL. 219 seqq.
Submissionis Deo formula in baptismo 129. 216.
Subsellia presbyterorum in sanctuario 25. 67. 154.
Suffocatum 139.
Symbolum fidei sub forma interrogativa XL. XLV. 129. 217 seq.

T

Tertullianus citatus XLVII. 165. 215. 216. 217. 218. 220.
Testamentum Jesu-Christi XII. XXIII. 3. 21. 147. 149. — Compilatoris ejus ætas XLI. XLVIII. — Fides XLVIII. — Patria XI. — Veterum de eo testimonia XV. XVIII.
Testamenti textus originalis et versiones XI. XIV. 15.
Testamenti editi codices describuntur IX—XII.
Trinitas XLVIII. 43.
Thronus episcopi in sanctuario 25.

U

Unctio catechumenorum 129. 215.
Unctio baptizatorum per presbyterum 129. 218; per episcopum XXVIII. XL. 131. 219. 220.

V

Vestis recens baptizatorum 220 seq.
Viduæ habentes præcedentiam XXX. XLIII. 26. 37. 47. 83. 119. 129. 141. 156. 163 seq. 197. 207. Viduæ electio et benedictio seu consecratio 95. 99. 163. — Dotes viduæ et munera 95. 99. 101. 163. 165.
Virgines (mares et feminæ) XXVI. XXXIII. XXXVIII. 97. 101. 107. 109. 117. 141. 164. 167. 207. Virginitatem voventes vel cupientes 117. 127. 137. 216. *Vid.* Cœlibes.
Virgines psallentes in ecclesia 55. 143. 208.
Virorum locus in ecclesia 117.

Y

Yahia Tagritensis 159.

Princeton Theological Seminary Libraries
1 1012 01249 7667

Date Due

Ap 11 '44			
Jl 2 '45			